DE

Q. ENNII ANNALIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALEXANDER REICHARDT,

SAXO E VICO NEUDORF.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXIX.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

In Q. Ennii annalibus, qui multo magis quam fabulae ceteraque Ennii carmina priscam vetustatem redolent, plurima fuerunt, quae posteriore aetate e consuetudine sublata sunt. haec nondum sunt separatim atque accurate composita. nam Lucianus Muellerus, quamvis multa eiusmodi in libro de Q. Ennio p. 190 sqq. commemoret, tamen aliud consilium sequitur (cf. p. 191 sq.). itaque mihi iam propositum est ea exponere, quae in annalium fragmentis in verbis et versibus vel Ennii ipsius vel aetatis eius esse videntur propria. quam quaestionem ita instituam, ut eis rebus, quae a viris doctis iam diiudicatae sunt, breviter commemoratis in illis potissimum verser, quae nova addenda aut melius constituenda sunt.

I.

Priore igitur huius commentationis parte ea, quae in verbis Ennii temporum propria esse videntur, ita tractabo, ut ordine enumerem primum vocabula in posterioris aetatis litteris non usurpata, deinde eas voces, quae proprio quodam sensu ab Ennio adhibentur, tum verborum formas posterioribus temporibus ab usu remotas.

A.

Vocabula posteriore aetate non usurpata.

1. Substantiva.

In substantivis perlustrandis exordior a nominibus propriis.

Remoram in v. 85 V. (80 M.). sic nominare novam urbem Romulus in animo habebat. neque enim est quod *Romamne Remamne* cum vetustioribus editoribus pro *Romam Remoramne* ponatur, cum

codex Ciceronis (de div. I 48, 107) Leidensis B Baitero teste *romam rem . . amne*, ceteri *romam remoramne* exhibeant.

Herem (*erdem* Vat. Gellii XIII 23, 18, *herclem* reliqui, *Herem* Meursius exerc. crit. II 3, 6) in v. 108 (112). de hac dea unum praeterea superest Festi testimonium (epit. Pauli p. 100, 2): *Herem Marteam antiqui accepta hereditate colebant, quae a nomine appellabatur heredum et esse una ex Martis comitibus putabatur.* unde forsitan colligere liceat vetustiores tantum Romanos Herem deam coluisse. nam quamquam Romani religiones antiquitus traditas plerasque perseveranter retinebant, tamen multarum memoria postea evanuit. hoc vero e Festi verbis apparet, in Enniano frustulo *Nerienem Mavortis et Herem* genetivum *Mavortis* non solum cum nomine *Nerienem* sed etiam cum appellatione *Herem* esse coniungendum. amoris deam hanc fuisse collato Osco *herest* Prellerus (mythol. Rom. I[2] p. 343) suspicatur. contra Corssenus (de pronunt. I[2] p. 470) Herem existimat deam hereditatis et comitem Martis hereditatem tuentis. quae sententia eo fulciri videtur, quod accusativi forma *herem* pro *heredem* non plane inusitata fuit. invenitur enim illud *herem* et in Naevii versu (com. 58 Ribb.) et in titulo anni p. Chr. n. 149 (Orelli n. 4379) in formula *herem non sequitur.*

Sarra in v. 330 (I fr. 56). urbem Tyrum, cui apud Phoenices esset nomen *Sor*, inde antiquiores Romani *Sarram* appellabant (v. Kiepertum de geogr. antiqua p. 170 sq.). qui usus his grammaticorum locis comprobatur: Probi in Verg. georg. II 506 *Tyron Sarram appellatam Homerus docet, quem etiam Ennius sequitur auctorem, cum dicit Poenos Sarra oriundos*; Gellii XIV 6, 4 (*in libro scriptum erat*) *quibus urbibus regionibusque vocabula iam mutata sint . . quod Tyros Sarra . . ante . . dicta sit*; Servii in Verg. l. l. *quae enim nunc Tyros dicitur, olim Sarra vocabatur.* accedit Festi glossa (p. 322, 23) mutila et depravata: ... *uae nunc Epiros* ... quam Pauli (p. 323, 5) libri sic exhibent: *Sarra Epiros* (*Tyros* editores veteres) *insula.* utroque loco fortasse *est Tyros* pro inepto *Epiros* scribendum est, ut Festi verba sic fere resarciantur: ⟨*Sarra insula appellabatur, q*⟩*uae nunc est Tyros.* exemplum nominis Sarrae in antiquis litteris praeterea repperi nullum. nam quod Scaliger in versu Plautino Truc. 539 coniecerat *ex Sara* (*exarat* libri), pro eo nunc rectius *ex Arabia* legitur.

hilum in v. 14 (8). post Lucretium *hilum* nisi in composito *nihilum* usurpatum non invenitur. sunt autem exempla eius maximam partem Lucretiana (III 220. 514. 518. 783. 830. 867. 1087; IV 379. 515. 1268; V 358. 1409). atque ubique apud Lucretium *hilum* ita collocatum est, ut hexameter eo claudatur. pariter se habent duo versus Lucilii (XXX 33 et fr. 815 Baehr.; v. JBeckerus Philol. II p. 37; Ribbeckius com. fragm.[2] praef. p. CXXXI). in medio hexametro semel est *hilo* ablativus in eiusdem fragmentis (XIV 11). etiam Plauto *hilum* et *hilo* coniectura dedit Schoellius, qui altero loco (Truc. 915) *hilum operis* (*operis quicquam* libri), altero (Truc. 560)

Lambinum secutus *hilo minus* (*nihili omnibus* BCD) in textum recepit. adde compositum *perhilum*, quod in uno Lucretii versu (VI 576) occurrit. denique grammaticorum explicationes habemus hasce: Pauli p. 101, 8 *hilum putant esse, quod grano fabae adhaeret, ex quo nihil et nihilum*; Nonii p. 121, 2 *hilum, breve quoddam*; Placidi p. 51, 12 D. *hilum, quicquam*; cf. Varro de l. L. IX 54 *dictus est nihili, qui non hili erat*; X 81 *quem putamus esse non hili, dicimus nihili*; Paulus p. 175, 3 *nihili, qui nec hili quidem est.*

bellicrepa in v. 105 (l. I fr. 68). bellicrepae vox, quam COMuellerus (ad Festum s. v.) Ennio dedit, apud grammaticos tantum servata est. etenim praecipue agitur de hac Festi explicatione (epit. Pauli p. 35, 3): *bellicrepam saltationem dicebant, quando cum armis saltabant* eqs. inde derivatas iudicat Loewius (prodr. p. 69 sq.) Osberni glossas (VIII p. 64 Mai; p. 75[b]): *haec bellicrepa, ac ·i· quoddam genus ludorum cum armatis hominibus factum*[1] et *bellicrepa: ludi armati genus.* idem Loewius aliam glossam (VI p. 511[a] Mai) ex alio fonte haustam commemorat: *bellicrepa: saltatio, quam dicimus pyrrhicha.* accipiemus igitur vocem illam pro substantivo eamque si non ipsi Ennio at certe vetustiori aetati tribuemus.

ningulus[2] in v. 133 (133). notitia huius vocabuli ex uno Festi loco (p. 177[a], 30) pendet, ubi codex habet: *ningulus, nullus, ut Ennius l. II: qui ferro minitere atque in te ninculus mederi queat.* collatis Pauli verbis (p. 176, 4) *ningulus, nullus. Marcius vates: nc ningulus mederi queat* Augustinus in Festi textu lacunam esse censuit inde ortam, quod librarius oculo aberrante versum omisisset. mihi quidem glossa sic fere apte suppleri videtur: *ningulus, nullus. Ennius l. II: qui ferro minitere atque in te ⟨ningulus pugnet, et Marcius vates in carmine: ne⟩ ninculus mederi queat.* quae praeterea vocis *ningulus* vestigia viri docti in libris manu scriptis deprehendisse sibi visi sunt, ea multum habent dubitationis.[3]

surum in v. 516 (323). vetustioris usus fuisse suri nomen, quod et ipsum a solis grammaticis traditur, e Varronis testimonio (de l. L. X 73) cognoscimus: *usuis species videntur esse tres: una consuetudinis veteris, altera consuetudinis huius, tertia neutra; vetera, ut cascus casci, surus suri* (*furus furi* F). uberius agitur de eadem voce duabus Festi glossis corruptis ac misere mutilatis: p. 286[a], 28 *rigido ... Ennius locatus* (*iocatus* Augustinus) *videtur ... li est enim a manis* (*maris* Ursinus) *no ... re usus est et l. II ... i caerula prata, cae ... et alibi: inde Parum ... ulabant; Parum insulam refert; item:*

---

[1] inde fluxit Isidori glossa *bellicerpa, quoddam genus ludorum cum armatis*; v. Loewium l. l. [2] de etymologia vide Pottii studia etym. I[1] p. 250; Corsseni de pronunt. I[2] p. 79; cf. p. 673 et 711; II[2] p. 687. 736. [3] Ennii trag. 185 R. (fab. 56 M.) *in illis negotium* et *in illo negotium* (*negotio*) libri; *ningulo negotio* Bergkius opusc. I p. 229 sqq. — Cic. de leg. II 8, 19 *laudum delubra sunto nec uncula vitiorum* cod. Heinsianus; pro *nec uncula* exhibet *neculla* in rasura Voss. A, *neuc ulla* Voss. B, *ne uncula* Leid. C, *nec uincula* Ambros. α, *nincula* Vahlenus ephem. gymn. Austr. a. 1860 p. 15; sed v. Jordani symb. p. 248 sqq.

unum usurum surus ferre tamen defendere possunt; suri autem sunt rustes (*fustes* corr. Augustinus) *et hypocoristicos surculi*; p. 297[b], 34 *surum dicebant, ex quo* ⟨*per deminutionem surculus fac*⟩*tum est; Plau ... non est tibi ... um; item: nam qui ... cus surculis ... m tum poli ... aut asulae ... rus surum ... re possent;* cf. Paulus p. 299, 1 *surum dicebant, ex quo per deminutionem fit surculus; Ennius: unus surus surum ferret tamen defendere possent.* quae glossae nondum probabiliter suppletae aut emendatae sunt[4], ut mirer a LMuellero libri II fragmenta 26—28 tamquam integra in libris tradita vel satis certo restituta exhiberi. iam hoc potissimum quaerendum erit, quomodo frustulum Ennianum, in quo suri vocabulum libris servatum est, probabiliter emendetur. nam verba illa, quamquam diu multumque criticorum ingenia exercuerunt[5], ne hodie quidem satis sanata sunt. mihi scripturis diversis Festi glossarum inter se comparatis hoc persuasum est, terminationes vocabulorum graviter depravatas, vocabula ipsa non immutanda esse, itaque propono hanc emendationem:

unus sŭrum Surus ferre, tamen defendere posset.

posset iam Columna et Merula nescio quo auctore scripserunt. sedem fragmenti in aliqua belli descriptione fuisse suspicor. nam *Surus* videtur intellegendus esse Syrus aliquis, qui suro si non hostes depellere, at tamen locum defendere poterat. scimus autem Syros fuisse patientissimos (Plauti Trin. 542 sq.; v. Ritschelii parerg. p. 339 sqq.), sed servituti magis quam militiae natos (Liv. XXXV 49, 8). mensuram suri nominis appellativi adhuc ignotam ita constitui, ut prior eius syllaba corripiatur. idem valebit de paenultima compositi *crebrisuro* inc. lib. XLV (inc. fab. rel. XLVII), cuius hoc testimonium est apud Paulum p. 59, 3: *crebrisuro apud Ennium significat vallum crebris suris, id est palis, munitum.*[6] quare vocem illam notabilem nusquam alibi servatam ad annales, quo optime quadret, quam cum COMuellero (ad Festum s. v.) ad tragoedias referri malim. notio suri vocabuli ex adlatis Festi explicationibus satis intellegitur. quibus addenda est Osberni glossa (VIII p. 551 Mai; cf. p. 564[b]) minus dilucida: *hic surus, ri ·i· truncus, qui remanet post abscisionem arboris; unde hic surculus, li, diminut.* sed hic quoque de arboris trunco ramis

---

[4] unam ex virorum doctorum coniecturis commemoro, quae veri specie non carere videatur. etenim in priore Festi glossa, ubi nostrae aetatis viri docti Scaligero duce ⟨*pont*⟩*i caerula prata* supplent, fortasse vetustiores Festi et Ennii editores recte scripserunt: ⟨*camp*⟩*i caerula prata.* nam sumpta esse possunt haec verba ex annalium v. 505 (460) *fert sese campi per caerula laetaque prata.* quod si verum est, totum fragmentum libro XVI a LMuellero tributum inter secundi libri reliquias est referendum. [5] *unus* | *surus surum ferret, tamen .. defendere posset* Merula; *in unum* | *surum ad surum ferte: tamen defendere possent* COMuellerus ad Festum p. 405; *una* | *surum surus ferire, tamen defendere possunt* Ilbergius; *unum surum ferre tamen, defendere possunt* LMueller.
[6] Barthius advers. XLI 8 e libro manu scripto hanc lectionem profert: *crebrissurra apud Ennium et Naevium significat vallum crebris suris munitum.*

spoliato cogitandum erit, ut non ipsa arbor sed rami abscisi dicantur. — Ceterum etiam post Ennium *suri* vel potius *syri* vocabulum in vulgari sermone usitatum fuisse arbitror. refero enim huc Nonii glossam (p. 46, 6): *syrus a Graeco magis tractum est*, ἀπὸ τοῦ σύρειν; *has* (*hos* Quicheratius) *nos scopas* (*copas* Harl. m. pr.), *rustici eo* (fortasse *eos*) *nomine syrus vocant*; *Varro Marcipore* (p. 162, 6 R. fr. 271 B.): *ventique . . secum ferentes tegulas ramos syrus* (*serus* Lugd. m. pr.). in his scopae non idem erunt ac nostrum *besen*, id quod in lexicis docetur, sed interpretabimur illas principali notione sarmenta.[7] nam vulgata illa explicatione ne sententia quidem apta efficitur.[8] syllaba autem prior Varroniani *syrus* corripiatur necesse est.

pausam in v. 572 (476) et *pausa* (*causa* Philargyrii codex Vat., *pausa* Bergkius eph. litt. Hal. a. 1842 II 230) in v. 348 (370). pausae vocem, quam a Graecis mutuati sunt Romani, ideo huc rettuli, quod optimorum scriptorum aetate nusquam invenitur. accedit quod Macrobius Sat. VI 4, 22 eius sic mentionem facit: *veteres . . dixerunt et pausam et machaeram et asotiam et malacen et alia similia.* apud Ennium etiam in saturis v. 11 (10) *pausam* legitur. reliqua huius vocis a vetustioribus poetis usurpatae exempla Saalfeldus tens. Ital. p. 834 sq. congesta praebet. post Lucretium vocabulum exolevit, donec Gellius (XIX 5, 4) et Apuleius (met. XI 2 fin.) usum eius redintegraverunt. praeterea illud quattuor locis repperi, apud Arnobium (V 9 Reiff.) et apud Iulium Valerium (de rebus gestis Alex. M. II 1 fin.), in Itinerario Alexandri (17) et in inscriptione metrica (p. 690, 5 Grut.).

trifaci in v. 524 (557). quid sit *trifax*, e Pauli glossa p. 367, 7 intellegimus: *trifax* (*triphax* Monac., Guelf.) *telum longitudinis trium cubitorum, quod catapulta mittitur; Ennius* . . . cf. Gellius X 25, 1 *in historiis veteribus scripta sunt . . trifaces* et Labbaei glossa: *trifax*, τρίχηλον.

agoea in v. 484 (567). hoc quoque nomen nusquam extat nisi apud grammaticos neque cuiquam nisi Ennio tribuitur. habemus enim haec potissimum testimonia: Pauli p. 10, 10 *agea via in navi dicta, quod in ea maxime quaeque res agi solet*; Isidori orig. XIX 2, 4 *agea* (lege *ageae*) *viae* (*via* Guelf. 1. 2) *sunt* ⟨*vel*⟩ *loca in navi, per quae ad remiges hortator accedit.*[9] ex Festo haustam esse Goetzius (ind. schol. hib. Ien. a. 1885/86 p. VI) iudicat Osberni glossam (VIII p. 29 Mai): *item ab ago haec agea, ae ·i· locus in navi, per quem ad remos acceditur.* similes glossas eodem spectantes vir doctissimus hasce commemorat: *agea, via in navi longa, qua remiges hortantur et solent ambulare* (*qua ad remiges hortatores solent ambu-*

[7] Barthius advers. VI 17 *syrus* interpretatur 'minuta ramenta cuiuslibet arboris aut fruticis'. [8] itaque non assentior LMuellero (ad Nonii l. l.) *syrus* perperam explicari suspicanti. [9] inde emenda glossam, quam Schefferus de militia navali veterum I 6 e glossario Latino-Germanico manu scripto affert: *agiaria loca quaedam in navibus, quae per remos hortator accedit.*

lare Goetzius); *agea, via in navi longa, qua remiges hortantur, cum nolunt ambulare* (v. etiam Loewii prodr. p. 143); *agela, via navis in qua dextra levaque* et *ageia, via navis in aqua dextra leuaque;* Philox. gloss.: *agear*, *παραμένων καὶ πάροδος πλοίου* (*agea*, *παρὰ Ἐννίῳ, πάροδος πλοίου* Scaliger). a constanti librorum scriptura *agea* Fleckeisenus[10] recedit, cum pro *e* vocali *oe* substitui iubet. est enim *agoea* nihil aliud nisi Graecum ἀγυιά. inde derivatum nomen *ageator*[11], quod idem esse dicitur atque *hortator*, Goetzius (arch. lexicogr. II p. 340 sq.) in multis glossis maximam partem corruptis deprehendit.

2. Adiectiva.

casci in v. 24 (12). de usu et significatione adiectivi *cascus* his locis agitur: Varronis de l. L. X 73 *vetera, ut cascus casci* (v. p. 5); VII 28 *cascum significat vetus .. origo Sabina, quae usque radices in Oscam linguam egit* (v. Corssen de pronunt. I^2 p. 652 ann.); *cascum vetus esse significat Ennius ..*[12]; Ciceronis Tusc. I 12, 27 *unum erat insitum priscis illis, quos cascos appellat Ennius* eqs.[13]; Pauli p. 47, 11 *cascum, antiquum.*[14] Servii in Aen. I 6 *Saufeius Latium dictum ait, quod ibi latuerant incolae, qui .. Cascei vocati sunt, quos posteri Aborigines cognominarunt* eqs. priscae igitur Latinitatis vocem *cascus* propriam fuisse apparet. quod exemplis eius, quae pauca supersunt, satis confirmatur. antiquissimum est in versu carminis Priami (Varr. de l. L. VII 28): *veteres Casmenas, cascam rem volo profari.* deinde in Naevii fragmento apud Varronem (Romuli v. 1 Ribb.) Hermannus (opusc. V p. 263) codicis Florentini scripturam *asta lana* in *casca lana* probabiliter mutavit. tum Sullanis temporibus in adnominatione hac voce usus est Manilius, cuius carmen apud Varronem l. l. sic incipit: *cascum duxisse cascam.* optimorum scriptorum aetate *cascus* in usu non fuit neque postea videtur revixisse. nam quod Gellius (I 10 lemm.) *nimis casce et prisce loquentem* dicit, eo nihil probatur, cum ille obsoleta vocabula a vetustissimis scriptoribus mutuari soleat. neque aliter iudicandum erit de loco Ausonii (epist. 26 v. 27 Peip.) Ennium saepius imitantis, si quidem vera est codicum lectio: *et nunc paravit* (*parabit* Peiper) *triticum casco* (*vesco* Bentleius) *sale novusque pollet emporus.*

dulciferae in 71 (57). alterum compositi *dulcifer* exemplum est apud Plautum Pseud. 1262.

altivolantum in v. 84 (79). hoc adiectivum compositum, quod ab Ennio substantivi loco usurpatur, etiam in Lucretii poemate

---

[10] quinquaginta tituli p. 20 ann.; misc. crit. p. 14. reliquos locos, quibus *agoeae* vox a viris doctis tractatur, vide in Saalfeldi tens. p. 33. [11] ad hoc nomen iam Cerda advers. sacr. cap. 173 n. 6 glossam Isidorianam de *ageae* voce rettulit. [12] cf. Petri Diaconi verba, quae Goetzius (ind. schol. hib. Ien. a. 1886/87 p. III) e codice Casinensi 361 affert: *casca antiquitus dicebatur vetustior res.* [13] cf. Hieron. epist. ad Niceam p. 342 (Migne) *rudes illi Italiae homines, quos cascos appellat Ennius.* [14] cf. Osberni gloss. (VIII p. 149^b Mai): *cascus, vetus, antiquus, annosus.*

semel (V 433; cf. Macr. VI 2, 23) occurrit. inter posteriores poetas Ausonius (technop. 80 P.) antiquissimos imitatus eo usus est.

tutulatos in v. 124 (128). *tutuli* vocis et inde derivati adiectivi *tutulatus* quae fuerit notio, his locis demonstratur: Festi p. 355[a], 29 *tutulum vocari aiunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, et extructum in altitudinem; quidam pileum lanatum forma metali figuratum, quo flamines ac pontifices utantur, eodem nomine vocari; Ennius* . .; Varronis de l. L. VII 44 *tutulati dicti ii, qui in sacris in capitibus habere solent ut metam; id tutulus appellatus ab eo, quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis quos habent vitta* (*uti* libri, corr. COMuellerus) *velatos* (*velatas* F, corr. Laetus) *dicebantur tutuli.*[15] alibi adiectivum illud non extat, nisi quod Pomponius (v. 96 Ribb.) *tutulatam truam* dixit.

sapientipotentes in v. 188 (207). hoc et quod sequitur vocabulum numeranda sunt inter ἅπαξ εἰρημένα quae dicuntur. pro illo tamquam barbarico et insulso LMuellerus (Enn. p. 204) duce ANauckio (Philol. XII p. 645) *sapientiloquentes* scribi iubet. sed ne haec quidem vox usquam tradita est. adde quod *sapientipotentes* recte se habere ipso opposito *bellipotentes* haud obscure indicatur. omnino talia ab usu Enniano minime aliena sunt.[16]

dentefabres in v. 324 (331). depravatam hanc librorum scripturam Turnebus mutavit in *dentifabres*, Columna in *dentifabros*, Hugius in *dentiferos*.

runata[17] in v. 576 (543). Festi testimonium est apud Paulum p. 263, 1 *runa genus teli significat; Ennius: runata recedit, id est pilata* (*proeliata* Guelf. et Barthii advers. XXXVIII 11 codex). in ipsius Festi verbis misere truncatis servato *Naevi* hoc indicari videtur, Naevium quoque adiectivo *runatus* usum esse. a Festi explicatione valde discrepant Isidori glossae: *runa*, *pugna*; *runata*, *proeliata*.

Furinalem in v. 125 (Naev. b. Pun. 27). flaminis Furinalis nomen ad hanc quaestionem pertinere verisimile est. videntur enim Furinae flamines ultima liberae rei publicae aetate non iam fuisse, cum nomen deae ipsum prope in oblivionem venisset. cuius rei testis est Varro de l. L. VI 19 his verbis: *Furrinalia Furrinae* . . *cuius deae honos apud antiquos; nam ei sacra instituta annua et flamen attributus; nunc vix nomen notum paucis.*[18] duobus aliis locis Varronianis (ibd. VII 45 et V 84; cf. Cic. de nat. d. III 18, 46) *Furinalis*

---

[15] cf. Fulgent. p. 561, 25 Merc. (v. Lersch Fulgent. p. 42 sqq.); Serv. in Aen. II 683; Tertull. de pallio 4 fin.; gloss. Osberni (VIII p. 594[b] Mai) *tutulus, vestis, qua sacerdos utitur, dum turificat*; v. etiam Merulam p. 267. [16] velut cf. ann. 310 (561) *navibus explebant sese terrasque replebant.* [17] de etymologia v. Corsseni symb. p. 143 sq.; de pronunt. I² p. 210. [18] cf. Paulus p. 88, 16 *Furnalia* (*Furinalia* Lips.) *sacra Furinae, quam deam dicebant*; v. etiam Marquardt de admin. rei publ. Rom. III² p. 327.

in eorum flaminum nominibus numeratur, quorum origo sit incerta. ceterum *Furina* et *Furinalis* modo una *r* littera[19], modo geminata[20] in libris scribuntur.

Falacrem in v. 126 (Naev. b. Pun. 28). in flaminem Falacrem fortasse idem valet atque in Furinalem. nam illius quoque nominis originem Varro de l. L. VII 45 dicit obscuram. accedit quod patrem Falacrem, cui flamen Falacer institutus erat, non novimus nisi e Varrone (ibd. V 84 *sic flamen Falacer a divo patre Falacre*; cf. VII 45) et ex titulo apud Muratorium (p. 100, 6 *T. Flavio Primigenio Falacr deae Pom. T. Flavius T. f. . . d. d.*).

3. Verba.

cluebunt in v. 4 (3). vetustiorum poetarum proprium esse cluendi verbum facile apparet. in Ennii reliquiis semel com. 1 (sat. 31) praeterea illud legimus, in hoc versu: *per gentes Asiae cluebat omnium miserrumus.* deinde huc refer incerti tragici versum (inc. inc. fab. 42 R.), quem LMuellerus (falso adscr. XIII, ed. Ennii p. 143) fictum iudicat: *haec, bellicosus cui pater, mater cluet Minerva.* multa exempla Plautina a Neuio (de formis II² p. 426) collecta sunt, apud quem etiam Lucretiana et Lucilianum (XXX 104 M.) invenies. incerta lectio est in duobus Accii versibus (trag. 533 R.; praet. 39). *clueri* quoque eadem fere notione atque *appellari* interdum occurrit, velut in Pacuvii versu (194 R.): *sed hi cluentur hospitum infidissumi* et loco Plautino (Pseud. 918): *stratioticus qui homo cluear.* tum Varro in satura Ὄνος λύρας (p. 183, 6 R. fr. 356 B., v. Vahleni coniect. p. 6) dicit: *Pacvi discipulus dicor, porro is fuit Enni, Enniu' Musarum: Pompilius clueor.* hic inflato musico priscum vocabulum apte datur. post Lucretium autem cluendi verbo etiam poetae uti desierunt. nam quod in Senecae apocolocyntosi 7 v. 1 Hercules Claudium affatur *exprome propere, sede qua genitus cluas*, id veteris tragoediae imitatione fieri verbis Senecae antecedentibus *quo terribilior esset, tragicus fit et ait* aperte indicatur (v. LMuellerum Enn. p. 206). posteriore aetate Tertullianus, Iulius Valerius, Ausonius, Prudentius, alii obsoletum illud verbum perraro adhibuerunt, atque ita quidem, ut semper fere tertiae coniugationis formas ponerent. denique glossas ad cluendi vocem spectantes hasce repperi: Nonii p. 87, 26 *cluet, nominatur*; gloss. apud Loewium prodr. p. 364 *cluet, nominatur, in gloria est*; *clues, polles*; *cluere, clarum esse*; *cluet, nominatur vel excellit*; *cluit, clarum est*; *cluit, pollet, viget*, alias; Osberni gloss. (VII p. 103 et p. 142ª Mai): *cluo dicitur pro splendeo teste*

---

19 *Furinalis* Varro de l. L. VII 45 et bis V 84; *Furinales* ibidem; *Furinalia* Paulus p. 88, 16; *Furina* (*furida* sive *furrida* F) Varro de l. L. V 84; *Furinae* Cic. l. l. et epist. ad Q. fr. III 1, 4; Paulus l. l.; Aur. Victor 65, 5, alibi; *F. Fur.* in Kalend. Maffeiano (II p. 394 Or.). Baehrensius (Burmannus rediv. p. 9; cf. Enn. fr. 82) hanc scripturam defendit a furendi verbo Furinae nomen derivandum esse arbitratus.

20 *Furrina* Varro de l. L. VII 45; *Furrinalia* et *Furrinae* VI 19.

Prudentio eqs.; *cluere, resplendere, fulgere, rutilare, coruscare, radiare, micare, gliscere, nitere.*[21]

tuditantes in v. 138 (121). de verbo frequentativo tuditandi extat haec Festi glossa (p. 352[a], 25) ex Paulo (p. 353, 4) suppleta: *⟨t⟩uditantés, tundentes ⟨negotium, id est ag⟩entes significare ait Cincius ⟨. . . En⟩nius l. II: haec inter se totum . . . tes, et Lucretius item l. II* (v. 1142): *nec ⟨tuditantia⟩ rem cessant extrinsecus ullam.* Ennii versus a Paulo omissus quomodo suppleatur, incertum est. sed cum in codice non ita multae litterae excidisse possint, ac propter adlitterationem maxime mihi placet Bergkii (opusc. I p. 269) coniectura: *haec inter ⟨se⟩se totum ⟨tempus tuditan⟩tes.* tertium exemplum est apud Lucretium III 394 sq. *tuditantia possint concursare, coire et dissultare vicissim.* utroque autem Lucretii loco principalis notio tundendi servata est. denique in glossariis saepius (v. Hildebrandi gloss. p. 285) invenitur: *tunditantes, saepe tundentes* et semel (Osbern. gloss. VIII p. 589[b] Mai): *tuditare, cum malleo percutere.*

carinantibus in v. 229 (232) et *carinantes* in v. 181 (fab. 444). antiquissimae consuetudini hanc vocem in glossis tantum extantem tribuemus. perversa eius etymologia[22] legitur apud Paulum p. 47, 8 *carinantes, probra obiectantes, a carina dicti, quae est infima pars navis; sic illi sortis infimae.* graviora sunt quae Servius in Aen. VIII 361 profert: *Sabini nobiles, quorum genus irridere et carinare solebat; carinare est obtrectare; Ennius: contra carinantes verba atque obscena profatus; alibi: neque me decet hanc carinantitibus edere chartis.* accedunt aliquot glossae. etenim Loewius (prodr. p. 14; cf. p. 122) verba *carinantes, inludentes, inridentes* aut *carinantes, inludentes* interdum leviter mutata saepe in codicibus repperit. idem bis legi dicit *carinantes, argutantes* et semel *carino, illudo, irrideo.* aliae glossae, quibus et verbum carinandi et substantivum *carinator* (Placidi p. 29, 15) explicantur, ab Hildebrando (gloss. p. 46) compositae sunt. fragmenta Enniana non integra qua ratione sanari possint, infra mihi dicendum erit.

russescunt in v. 266 (268). hoc verbum incohativum, quod est ἅπαξ εἰρημένον, ab adiectivo *russus* derivatum est sicut ab adiectivo *rufus* verbum *rufescere.*

exaugere in v. 290 (314). duo praeterea exempla inveni, alterum Plautinum (Stichi 304 *exaugeam*), alterum Terentianum (Haut. 232 *exaugeant*).

nictit in v. 346 (375). versibus Ennianis, in quibus *nictit*

---

[21] Ennii fragmentum, in quo cluendi verbum inest, in Probi (IV p. 231, 16 K.) codice sic traditur: *Ennius in primo nam latos populos res atque poemata nostra cluebant.* Ilbergius (p. 13 sq.) scripsit: *Ennius in primo annalium: latos ⟨per⟩ populos terrasque poemata nostra ⟨clara⟩ cluebunt* (hoc Dousa auctore), quam emendationem omisso vocabulo *clara* recepit Keilius. [22] immo a carendi verbo tertiae coniugationis *carinare* derivatum est; v. Corsseni symb. p. 451 sq.; de pronunt. I[2] p. 403. 522. 524; II[2] p. 172; cf. I[2] p. 420 ann., II[2] p. 416; v. etiam Ritschelii opusc. IV p. 134, GCurtii etym.[5] p. 148.

inest, Festus (p. 177^a, 16; cf. Pauli epit. p. 176, 3) haec praemittit. *nictit canis in odorandis ferarum vestigiis leviter ganniens; ut Ennius*..: praeter Ennium illa voce usum esse Caecilium Osberni glossa (VIII p. 372 Mai) traditur: *nicto, as, cii* (*nicto, is, nixi* Hildebrandus p. 218, *nicto*, *is*, *nicti* Georges in lexico) *vel nictui, quod proprie pertinet ad canes*, *quando bestiarum vestigia sequuntur; unde et Caecilius de quodam cane: bene*, *inquit*, *nictit holetque.*[23] omnino in glossis haud raro *nictit* aliaeque huius verbi formae occurrunt. etenim Loewius (prodr. p. 16; cf. Hild. gloss. p. 218) verba *nictit canis*, *cum acute gannit* e satis multis glossariis, *nictit canis*, *cum leviter gannit* (v. Loewium gloss. nom. p. 137) et *nictit canis*, *cum excitatur* e singulis codicibus, *nicto*, *latro* ex tribus libris affert. adice glossam e codice Vaticano (VII p. 570^a Mai): *necne* (*nictit* Hildebrandus) *canis*, *dum gannit* et Osberni glossam (VIII p. 383^a Mai): *nictire, olere, sicut canes faciunt* (cf. Hild. gloss. l. l.). *nictit* igitur tertiaene an quartae coniugationis sit, in medio relinquendum est.

insece in v. 332 (377). de antiquissima insecendi voce accuratius agit Gellius XVIII 9, qui non solum Ennii versum affert sed etiam *insecenda* ex Catonis oratione, *insece* ex notissimo Livii Andronici versu, *insectiones* a veteribus Romanis pro narrationibus vel sermonibus dictas commemorat. huc referendae sunt duae aliae glossae: Pauli p. 111, 11 *inseque apud Ennium*, *dic*[24]; *insexit, dixerit*; Placidi p. 59, 16 *insequis, narras, refers, sed interdum pergis.* de ratione, qua verbum insecendi scribatur, Gellius § 2 sqq. duas veterum sententias profert. nam aliis *insequenda* et *inseque* placebat, ut *insequere* idem esset ac pergere dicere, aliis Velium Longum secutis, in quibus erat Gellius, *insece* et *insecenda* probabatur. *insece* Gellius se ipsum in vetusto Livii Andronici libro legisse adfirmat. nihilominus *insecere* ei videtur idem esse atque *insequere.*[25]

campsant (v. Saalfeldi tens. p. 219) in v. 334 (383). legimus apud Priscianum (II p. 541, 15 H.): *unde* (a κάμπτω) *et campso* (*camso* Paris. R, Halberst.) *campsas* (*camsas* Halberst.) *solebant vetustissimi dicere; Ennius: Leucatam campsant* (*camsant* Bern., Halberst.). cui testimonio adde nonnullas glossas ab Hildebrando (gloss. p. 43) collectas.

verant in v. 370 (407). de hac voce plane nihil scimus praeter ea quae Gellius (XVIII 2, 12; 15 sq.) memoriae prodidit: *quaesitum est*, *verbum verant*, *quod significat vera dicunt*, *quisnam poetarum veterum dixerit .. libris coronisque omnes donati sumus nisi ob unam quaestionem*, *quae fuit de verbo verant; nemo enim tum commeminerat dictum esse a Q. Ennio id verbum* eqs.

---

[23] cf. Ugucionis verba a Goetzio (ind. schol. hib. Ien. a. 1885/86 p. VIII) commemorata: *item anicto as nicto vel niccio is ctui niccitum ·i· glatire et proprie canum est*, *quoniam bestiarum vestigia insequuntur et acute ganniunt, unde Cecilius* eqs. [24] cf. gloss. apud Labbaeum: *inseque, εἰπέ.*
[25] v. Curtii etym.^{5} p. 467 sq. et Corsseni de ling. Ital. cogn. p. 70.

longiscunt in v. 429 (492) et *longiscere* in v. 480 (493).[26] notitiam huius vocis Nonio (p. 134, 17) debemus, cuius verba sic scripta sunt in libris: *longiscere, longum fieri vel frangere; Ennius lib. XVII: neque corpora firma longiscunt* (*longicunt* H) *quicquam; idem: cum sola est; eadem facient* (sic Leid.; *faciunt* GH) *longiscere longe.* omitto varias virorum doctorum opiniones, quibus Nonii glossa minime sanata sit. hoc dico, displicere Hugii (in Vahleni edit.) commentum: *langiscere, languidum fieri vel frangi . . langiscunt . . cum soles terras faciunt langiscere longe.* quae nimis longe recedunt a codicum scriptura. immo vero etiam sequenti adverbio *longe* altero loco *longiscere* fulciri apparet. Nonii locum consideranti mihi haec emendatio se obtulit: *longiscere, longum fieri vel frangi . . longiscunt . . cum soles cladem faciunt longiscere longe.* posteriorem Ennii versum sedem habuisse suspicor in pugnae descriptione, ubi cladem solis aestibus auctam esse narrabatur.[27]

degrumare in v. 430 (494). testatur hoc verbum Nonius (p. 63, 4): . . *est autem gruma mensura quaedam, qua fixa viae ad lineam diriguntur, ut est agrimensorum et talium; Ennius libro XVIII gruma dirigere dixit degrumari ferrum; Lucilius lib. III viam quae degrumavis, ut castris mensor facit olim.* adicias glossas a Loewio (prodr. p. 118; gloss. nom. p. 150) prolatas: *grumare, dirigere* ⟨*aequare*⟩ et *grumat, dirigit, aequat* (*grumat diri* et *git equat* codex). apud Nonium verba *gruma dirigere* (*derigere* LH[2]) Vahlenus, L. Muellerus etiam *dixit* interpolata iudicant. probabilius statuemus Neuium (de formis II[2] p. 282) secuti Ennianum *degrumari ferrum* verbis *gruma dirigere* explicari. sed passivi forma *degrumari* propter glossas supra ascriptas magnam dubitationem movet, ut *degrumabis* in Lucilii versu Salmasius, Vahlenus apud Ennium *degrumare* suo iure coniecisse videantur. altera autem Vahleni coniectura *forum* pro *ferrum* scribentis ideo minus placet, quod ad verba *degrumare forum* illustranda Nonii explicatio *gruma derigere* non quadrat. omnes difficultates facile removentur, si *ferrũ* ex *ferro* factum esse ratus legas: *Ennius . . gruma derigere dixit degrumare ferro.* sic verbis *gruma derigere* explicatur fragmentum Ennianum, ubi ferrum gruma est intellegendum.

erugit in v. 546 (593). *erugere* pro frequentativo *eructare* usurpatum vetustioribus Romanis tribuo, quod nullum praeterea exemplum eius novimus nisi unum apud Gellium (XI 7, 3) *vinum eructum.* Gellii autem usu nihil probari supra dixi. grammaticorum testimonia haec sunt: Pauli p. 83, 2 *erugere semel factum significat, quod eructare saepius; illud enim perfectae formae est, hoc frequentativae*; Macrobii exc. Bob. V p. 651, 34 K. *eructo . . est a verbo erugit; Ennius . .*; eiusdem exc. Paris. V p. 626, 20 K. *eructat frequentativum*

---

[26] v. Baehrens arch. lexicogr. II p. 473. [27] similiter versum intellegit LMuellerus mus. Rhen. XXVI p. 347 et comm. p. 203.

est a principali <*erugit* . .> *erugit aquae vis*; gloss. apud Hildebr. p. 129 *erugit* (*eruit* codex; corr. Hildebrandus), *egerit*.

consiluere in v. 575 (inc. sed. 30). quod de erugendi vocis usu dictum est, idem de consilescendi verbo valet. etenim antiquiore aetate Ennius Paulo (p. 58, 9) teste *consiluere pro conticuere posuit* et Plautus (Mgl. 583) *consilescunt turbae* dixit, ex posterioribus Gellius bis (V 1, 6 [*Homerus*] *consiluisse universos dicit*; XII 1, 22) et Hieronymus semel (in Iesai. V 14, 10) vocabulo usi sunt. optimorum vero scriptorum temporibus nullum eius vestigium reperitur.

4. Adverbia.

postilla in v. 42 (34). vetustioris sermonis proprium est hoc compositum sicut *postillac postidea postibi* alia. legitur enim praeterea in incerti poetae tragoedia v. 15 R. (Enn. fab. 11 M.), in Catonis originum fragmento (apud Gellium III 7, 19), apud Plautum Lorenzio (ad Most. 134) teste circiter duodeciens, ter apud Terentium (Phorm. 347; Andr. 936 [*post illa* libri; *post ibi* Lachmannus]; Haut. 447), postremo semel in Catulli carminibus (84, 9). disseruit de hoc et de aliis id genus adverbiis Ritschelius opusc. II p. 269 sqq. 541 sqq.

atque atque in v. 527 (519). geminatam *atque* particulam ab Ennio positam esse Gellius X 29, 2 his verbis tradit: (*atque particula*) *si gemina fiat, auget intenditque rem, de qua agitur, ut animadvertimus in Q. Ennii annalibus, nisi memoria in hoc versu labor: atque* (*adque* L m. pr.) *atque* (om. Regin.) *accedit muros Romana iuventus*. a quo testimonio discrepat alterum Nonii p. 530, 1 *atque particula, si diligentius intellegitur, multam habet significantiam, ut vel illud est Ennii: atque accendit muros Romana iuventus, quod est: festine et intrepidanter accendit*. sed facile intellegitur Nonium, qua erat levitate et ignorantia, Gellii verba temere immutasse, ut eius testimonio nihil tribuamus. et ne Gellius quidem, etiamsi Ennii versus probe meminit, initium eius recte explicavit. nam particulae *atque* geminatio prorsus inaudita et incredibilis foret. probabilius est, quod LMuellero (comm. p. 203 sq.; cf. Enn. p. 211) teste Woelfflinus proposuit, *atque atque* pro *adque adque* scriptum vertendum esse 'und heran, und heran', ut *ad* loci adverbium sit. tamen ne sic quidem omnes scrupuli removeri videntur.

5. Denique huc referenda est vox *taratantara* in v. 452 (537) ad exprimendum tubae sonum a poeta formata (v. Prisc. II p. 450, 6 H.; Serv. in Aen. IX 501; cf. Columna p. 102 sq.).

B.

Voces proprio quodam sensu adhibitae.

1. Substantiva.

nepos in v. 56 (47) pro *neptis* positum. qui usus antiquioribus Romanis ascribitur a grammaticis, his quidem locis: Festi p. 286[b], 13

recto fronte . . antiquae id consuetudinis fuit, ut cum ait Ennius quoque a stirpe supremo et Ilia dia nepos et lupus feta eqs.; Charisii I p. 90, 24 K. *neptis grammatici volunt dici . . et advocant Ennium, quod dixerit ita: . . sed consuetudo nepotem masculino et neptem feminino genere usurpavit;* Nonii p. 215, 6 *nepos dici et femina potest Ennio auctore, quae nunc neptis dicitur* eqs.; Prisc. II p. 253, 2 H. *nepos nepotis, quod quidam commune putaverunt, quamvis femininum sit neptis;* Servii in Aen. XII 519 *ab hoc nepote hic et haec nepos; nam ut neptis dicamus in iure propter successionis discretionem admissum est.* itaque non multum alii grammatico (Sergio explan. ad Don. IV p. 563, 15 K.) tribuemus docenti: (*soloecismus per genera est*) *apud Ennium: Ilia dia nepos.* praeterea in titulis sepulcralibus saepius[28] *nepos* pro *neptis* legitur.

lupus femina in versibus 70 (58) et 73 (59). antiquiores sic pro *lupa* dixisse praeter Festi locum modo ascriptum his testimoniis affirmatur: Quintiliani I 6, 12 *lupus masculinum; quamquam Varro in eo libro, quo initia urbis Romae enarrat, lupum feminam dicit Ennium Pictoremque Fabium secutus;* Festi p. 150, 26 *antiquam consuetudinem . . idem antiqui dixerunt . . hanc lupum*; Pauli p. 6, 12 *apud maiores communis erat generis . . et lupus*; p. 60, 8 (*antiqui*) *diverso genere dicebant haec lupus* eqs.; Servii in Aen. II 355 *sane apud veteres lupus promiscuum erat* eqs. praeterea nullum huius usus vestigium deprehendimus. lupae autem nomen lupum feminei sexus significans apud antiquiores scriptores nusquam occurrit, cum de meretrice idem saepius usurpatum sit.

latrones in versibus 60 (52) et 528 (529). vox latronis in vetustiore sermone Latino eandem fere vim habebat atque Graecum λάτρις, ut milites conducticios significaret (v. Curtii etym.[5] p. 363). cui rei testimonio sunt verba Varronis de l. L. VII 52 *latrones dicti . . et qui conducebantur; ea enim merces Graece dicitur λάτρον; ab eo veteres poetae non numquam milites appellant latrones . .*, et Pauli p. 118, 16 *latrones eos antiqui dicebant, qui conducti militabant, ἀπὸ τῆς λατρείας* eqs., et Nonii p. 134, 28 (cf. Placidum p. 61, 1 D.; Servium in Aen. XII 7) *latrocinari, militari mercede . . Ennius . .* (ann. 528). praeter Ennium Plautus solus, quod quidem sciam, nomen illud sic adhibuit, cuius loci a Brixio (ad Trin. 599) et Saalfeldo (tens. p. 612 sqq.) commemorantur. apud eosdem invenies tria exempla verbi latrocinandi Graeco λατρεύειν respondentis (Mgl. 499. Trin. 599. Poen. 704). denique latrocinii nomini haec notio subiecta est in fragmento Plautino (v. 49 Winter).

occasus in versibus 164. 171. 292 (134. 172. 319) pro *occasio.* huius usus mentio fit uno Festi loco (p. 178[b], 12) *occasus . . quo vocabulo Ennius pro occasione est usus . . .*

---

[28] IRN. n. 2706. 3026. 3051. 4960. 6054. 6430; CIL. II n. 389. VIII 2 n. 8732; Orelli n. 3773; Gruteri p. 678, 11; v. Neuum de formis I[2] p. 597.

eques in v. 237 (249) et in v. 419 (484) pro *equus. quadrupes eques*, non *quadrupes equus* ab Ennio scriptum esse Gellius docet (XVIII 5 lemm. et § 4 sqq.). ex cuius expositione haec potissimum notanda sunt, quae ab Antonio Iuliano rhetore Gellius se audivisse dicit: *pleraque veterum aetas et hominem equo insidentem et equum, qui insideretur, equitem dixerunt.* etenim rhetorem illum *eques*, non *equus* in libro Ennii vetustissimo Lampadionis manu emendato ipsum legisse (§ 11). eundem de simili verbi equitandi usu haec addidisse (§ 9): *propterea equitare etiam, quod verbum e vocabulo equitis inclinatum est, et homo equo utens et equus sub homine gradiens dicebatur.* secuntur duo et dimidiatus Lucilii versus (inc. 69 sqq. M.), ubi *equitare* et *equitat* binis exemplis de equo usurpantur.[29] epitomen brevem capitis Gelliani Macrobius (VI 9, 9) praebet, atque Ennii fragmentum a Philargyrio (in georg. III 116) quoque affertur. denique in Nonii (p. 106, 24) libris est: *equitem pro equo; . . Ennius annali lib. VII an non quadrupedes equites* (*lib. VII quadrupes eques ac non quadrupes equus* LMuellerus ex lemmate capitis Gelliani). ab eisdem grammaticis affirmatur imitatione eius *equitem* pro *equum* semel (georg. III 116) posuisse Vergilium. nec videtur esse, cur cum Heynio hoc falsum iudicemus, cum in illo Vergilii loco sane equus intellegendus sit. nihil vero ad hanc quaestionem refert, quod Minucius Felix 7, 3 scripsit: *Curtius, qui equitis sui vel mole vel honore hiatum profundae voraginis coaequavit*, qui locus dubius a compluribus viris doctis tentatus est.

peniculamenta in v. 363 (394). de notione et usu huius nominis apud Nonium p. 149, 27 haec legimus: *peniculamentum a veteribus pars vestis dicitur; Ennius lib. XI* (ante ras. *XII* H, *XI* L) *annalis: pendent peniculamenta unum ad quemque pedum*; *Lucilius lib. XVIIII* (v. 6 M.): *penulamento vere* (*peniculamentum vere* vulg.) *reprehendere noli; Caecilius Feneratore* (132 R.)*: volat sanguis* (*exsanguis* Bothius), *simul anhelat*, *peniculamentum* (*penulamentum* H[1]) *et pallio datur* (*peniculamentum e pallio datur* Buechelerus, *peniculamentum tenet palliolatim* Ribbeckius). pro *annalis pendent* LMuellerus *annali: splendent* scribit. sed verbum *pendent* et propter adlitterationem et quod optime quadrat ad sequentia, tentari nolim.[30]

falae in v. 389 (420). falas hic[31] turres ligneas esse, quales in oppugnationibus adhiberi solebant, ex his veterum explicationibus apparet: Nonii p. 114, 5 *falae turres sunt ligneae*; p. 555, 19 . . *a falis, id est turribus ligneis*; Pauli p. 88, 10 *falarica . . utuntur ex falis, id est ex locis extructis, dimicantes*; p. 88, 12 *falae dictae ab altitudine, a falando, quod apud Etruscos significat caelum*[32]; Servii in Aen. IX 702 *phalarica pugnatur de turribus, quas falas dici mani-*

[29] quae omnia Gellius postea etiam in pervulgatis commentariis se legisse adicit; v. Mercklinum annal. philol. supplem. III p. 676 sq.
[30] principali notione servata *peniculamentum* est cauda, velut apud Arnobium adv. nat. V 11. [31] apud Iuvenalem 6, 590 *falas* aliam vim habet.
[32] de etymologia v. Corsseni symb. p. 473.

festum est.[33] per imaginem hoc nomine usus est Plautus Most. 357 *vel isti qui hosticas trium nummum causa subeunt sub falas.*

spiras in v. 501 (502). singularem vim spirae voci Graeco σπεῖρα respondenti[34] apud Ennium subiectam esse Festus p. 330[b], 15 his verbis testatur: *spira .. Ennius quidem hominum multitudinem ita appellat* . . . similiter in mysteriis nomen illud adhibebatur.

tonsillas in v. 491 (569). tonsillae vocabulum quid in vetustiore sermone significaverit, ex his glossis intellegimus: Festi p. 356[a], 28 (cf. Pauli ep. p. 357, 5) *⟨tonsillam ait⟩ esse Verrius palum dolatum ⟨in acumen et⟩ cuspide praeferratum, ut existi⟨mat, qu⟩em configi in litore navis re⟨ligandae⟩ causa*; Pauli p. 224, 16 *prymnesius palus, ad quem funis nauticus religatur, quem alii tonsillam* (*tosillam*[35] Mon.) *dicunt*; Isidori orig. XIX 2, 14 *tonsilla, uncinus ferreus vel ligneus, ad quem in litore defixum funes navium illigantur; de quo Ennius* ...[36] ex Pacuvii tragoedia (v. 218 R.) Festus p. 356[a], 31 affert: *tosillam* (*tonsillam* Priscianus II p. 523, 19 H.) *pegi lecto in litore* et ex Accii fabula (trag. 574 R.): *tonsillas lecto in litore edite.* denique in Lucilianis (X 3 M.) *consellas praevalidis funibus aptas* pro *consellas* Iunius probabiliter coniecit *tonsillas.*

cohum in v. 550 (574). grammatici, quibus notitia huius vocabuli omnis debetur, neque de eius scriptura neque de explicatione inter se consentiunt. nam apud eos haec leguntur: Paulum p. 39, 5 *cohum poetae caelum dixerunt, a chao, ex quo putant caelum esse formatum*[37]; Diomedem I p. 365, 18 *cohum apud veteres mundum significat, unde subtractum incohare*; Isid. de nat. rerum 12, 3 (Suet. prat. p. 202 Reiff.) *partes eius* (*caeli*) *hae sunt: cous, axis .. cous est, quo caelum continetur; unde Ennius: vix solum complere cohum* (*choum* Bamb. 1; *cous* Bamb. 2) *terroribus caeli* (*pilam vix sol mediam complere cohum t. c.* Scaliger ad Festum p. 39, 5 ex veteri quadam membrana); Placidum p. 26, 17 D. *choum, naturam universam, ⟨a⟩ chao, id est inani vel vacuo.* habemus igitur quattuor definitiones inter se discrepantes, ex quibus secunda illa a Diomede relata vera videtur esse (v. LMuelleri comm. p. 206). sed pro certo nihil affirmari potest, cum nondum constet, quomodo versus Ennianus sit emendandus.[38]

[*sospite*] in v. 577 (589). Festi glossa p. 301[b], 15 (*sospitem*) *Ennius vi⟨detur servatorem signi⟩ficare, cum dix⟨it: quo sospite⟩ liber* suppleta est ab Ursino ex Pauli verbis (p. 300, 10) *sospes,*

---

[33] cf. Hesychius: φάλαι, ὄρη, σκοπιαί (ὄρα, σκόπει codex, emend. Scaliger); cf. Isidori orig. XVIII 7, 8; Salmasius ad Solin. p. 640.

[34] cf. Hesychius: σπεῖρα, πλῆθος, στράτευμα, τάγματα; Suidas: σπεῖραι, πλήθη στρατευμάτων, φάλαγγες, νούμερα, λεγεών. [35] de formis *tonsilla* et *tosilla* vide Schmitzii symb. ad ling. et litt. Lat. cognit. p. 36 sq.

[36] cf. Osberni gloss. VIII p. 590[a] Mai: *tonsula, uncinus ferreus.* confusa est alia eiusdem glossa (p. 591[a]) *tonsilla, remus, remex, remigium.*

[37] Varr. de l. L. V 19 codicis F scripturam *chouum* Laetus recte mutavit in *cavum.* [38] *vix* (= *subito*) *sollum complere cohum fervoribus caeli* Havetius arch. lexicogr. II p. 266; ⟨*terraeque*⟩ *pilam vix Sol mediam complere cohi torroribus coepit* Baehrensius ibd. p. 474.

salvus; Ennius tamen sospitem pro servatore posuit. huc pertinet Iunonis Sospitis vel Sispitis cognomen, de quo idem Festus p. 343ª, 14 dicit: *Sispitem Iunonem, quam vulgo Sospitem appellant, antiqui usurpabant* eqs. unicum illius formae exemplum est in titulo (CIL. I n. 1110) circiter medii saeculi septimi a. u. c.[39]

2. Adiectiva.

ratus in v. 78 (65). quod Romuli nomini ita appositum, ut idem valeat ac firmus vel fortis[40], vetustioris consuetudinis peculiare esse videtur. neque enim ullum alium locum repperi, quo homines rati pro firmis dicantur. contra cum rebus coniunctae huic voci saepissime vis illa subiecta est.

cata in v. 447 (538) pro *acute sonantia.* a Varrone de l. L. VII 46 versum Ennianum laudante explicandi causa nihil adicitur nisi *cata, acuta; hoc enim verbo dicunt Sabini.* sed de sono illud singulari usu dictum esse ex ipsis Ennii verbis patet.

praepes adiectivum in versibus 97 (91) et 478 (215) de locis faustis usurpatum a mea quaestione alienum iudico. nam quamquam a nullo alio veterum scriptorum, quantum scimus, *praepes* sic adhibitum est, tamen in augurali disciplina semper etiam loca sic appellata esse docet Gellius VII 6, 8 sq. *non ipsae tantum aves, quae prosperius praevolant, sed etiam loci, quos capiunt, quod idonei felicesque sunt, praepetes appellantur .. locos porro praepetes et augures appellant et Ennius ..* (cf. Servius in Aen. VI 15). quare id tantum Ennii proprium existimo, quod ex augurali disciplina usum illum solus ascivit. hoc altero quoque Gellii loco (IX 4, 1) indicatur, ubi Ennius portum Brundisinum remotiore paulum sed admodum scito vocabulo *praepetem* appellasse dicitur.

3. Verba.

orat[41] in v. 20 (25) eodem fere sensu atque *agit.* ibi ne codicis Festi scriptura *te cum* retineatur, obstant ipsius grammatici verba (p. 198, 23): *orare antiquos dixisse pro agere testimonio . . Ennius quoque..,* et alio loco (p. 182ᵇ, 12): *antiqui orare dicebant pro agere.* antiquos cum ait Festus, Ennii aequales intellegit. accedunt enim exemplo Enniano aliquot Plautina (v. Heerdegen untersuch. p. 20 sq.) et unum Terentianum (Hec. 686), quibus locis omnibus orandi verbum cum nulla alia voce nisi *mecum tecum secum* coniungitur (v. Langeni symb. ad crit. et explic. Plauti p. 241; Heerdegen l. l. p. 21). post Terentium consuetudo illa loquendi non amplius invenitur.[42] ceterum significatio verbi orandi in locutione *cum aliquo*

[39] v. Ritschelii opusc. IV p. 350 sqq. de etymologia v. Corssenum de pronunt. I² p. 425 sq. 797; II² p. 212. 365; additam. crit. p. 250.
[40] cf. Festus p. 274ᵇ, 1 *pro firmo, certo ponitur ratus et ratum; Ennius . . .*
[41] v. Heerdegen untersuchungen zur lat. semasiologie III. [42] apud Caesarem de bello civ. I 22 quod antea legebatur *cum eo de salute sua orat atque obsecrat,* pro eo Nipperdeius Bentleio duce scripsit: *cum eo de salute sua ⟨agit,⟩ orat a. o.*

orare proxime abest a principali, qua *orare* idem fere valuit atque cum gravitate quadam sive assidue loqui (v. Heerdegenum l. l. p. 11). verum in omnibus illius locutionis exemplis iam rogandi notio inest. eandem agendi vim Paulo (p. 19, 5) teste apud antiquissimos habebat compositum *adorare*.

licitantur in v. 77 (64) pro *certant* vel *pugnant*. huc referenda est Pauli glossa (p. 116, 20) *licitati, in mercando sive pugnando contendentes* et Nonii (p. 134, 11) *licitari, congredi, pugnare; Ennius* . . . alterum exemplum est in versu Caecilii (com. 69 R.), ubi verba *machaera licitari adversum ahenum* aliter intellegere non possumus. ex propria autem vocis significatione pugnandi notio ita ducta est, ut pugnantes propter similitudinem licentium dicti sint licitari. eadem ratione explicabimus licitatoris nomen in compluribus glossis servatum.[43]

latrat in v. 570 (474) pro *vehementer poscit* vel *gestit*. Homeri imitatione ortum esse Ennianum *animus cum pectore latrat* vel potius *animusque in pectore latrat* iam Columna (p. 162) intellexit, qui Homerica verba (υ 13) κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει in comparationem vocavit. inde fragmenti sententia multo clarius apparet quam ex eis quae leguntur apud Varronem de l. L. VII 103 *multa ab animalium vocibus tralata in homines . . perspicua, ut Ennii* . . et apud Paulum p. 121, 11 *latrare Ennius pro poscere posuit*. Pauli quidem glossa melius quadrat ad Lucretii verba II 17 *nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut . . fruatur*.

mussare in v. 426 (479) pro *tacere*. Ennio talis verbi mussandi usus his locis tribuitur: Pauli p. 144, 14 *vulgo vero (mussare) pro tacere dicitur, ut idem Ennius* . .; Varronis de l. L. VII 101 *apud Ennium* (trag. 393 R.)*: vocibus concide, faxis musset (facimus et* F; emend. Ribbeckius) *obrutus; mussare dictum, quod muti non amplius quam* μῦ *dicunt;* Philargyrii in Verg. georg. IV 188 (*mussare*) *ponitur et in tacendi significatione, ut apud Ennium* . .; Servii in Aen. XII 657 *Ennius mussare pro tacere posuit*. idem significat *mussa* in Iuventii versu (1 R.) apud Paulum p. 299, 3 sic tradito: *Terentius* (*Iuventius* Lindemannus) *mussare pro tacere posuit, cum ait: sile, cela, occulta, tace, tege, mussa*, unde Festi (p. 298[a], 33) verba a Ribbeckio suppleta sunt: *nam mussare silere dicitur; Iuventius in Anagnorizomene: quod potes, sile, cela, occulta, tege, tace, mussa, mane*. etiam cum accusativo obiecti illud *mussare* coniungitur, velut Plauti Aul. 131 *neque occultum id haberi neque per metum mussari*. et ne a frequentativo quidem *mussitare* notionem illam alienam fuisse ex compluribus Plauti (Mgl. 311. 477. Truc. 312. Ps. 501. Cas. III 5, 33) et Terentii (Ad. 207) locis intellegimus. posteriore aetate non tacentes mussare dicebantur, sed murmurantes (sic etiam Ennii

[43] Osbernus VIII p. 329 (Mai) *licitator, persecutor, gladiator, apparitor, lictor, grassator, tortor, spiculator, perlitor, occisor, cui multa facere licet*; cf. VI p. 531 *licitator, suasor, provocator*; cf. Isid. gloss. *licitator, gladiator, apparitor, occisor, cui multa licent.*

ann. 185) aut dubitantes (velut Verg. Aen. XII 657. 718. Ennii ann. 348).

restat in v. 475 (499). singularis hoc loco vocabuli restandi notio est, si quidem Festi testimonio (p. 282 b, 33) fidem habemus: *restat pro distat ait Verrius Ennium* (*Ennius* codex; *Verrius Ennium* Ursinus) *ponere, cum hic* (*his* codex) *dicat: impetus aut* (*haut* COMuellerus) *longe mediis regionibus restat. re* igitur syllabam standi verbo praefixam similiter accipiemus atque in voce recedendi, quae interdum idem valet atque *abesse*, et in participiis *repostus* et *remotus*. verisimile est autem Ennium adlitterationis causa, in qua nimius fuit, pro *distat* insolentius *restat* adhibuisse. minime vero assentior Langeno (symb. p. 303), qui de repugnante *restat* intellegi vult. obstant enim praeter Festi glossam praecipue ablativi *mediis regionibus*, qui multo commodius a verbo *restat* quam ab adverbio *longe* dependeant.

navibus explebant sese in v. 310 (561) pro *navibus egrediebantur*. inepta est Servii (in Aen. VI 545) interpretatio: *explebo est minuam; nam ait Ennius* . . . immo singularem iudica Ennianam illam locutionem atque ita explica, ut privativa sit *ex* praepositio et verbum *explebant* sequenti *replebant* per adnominationem opponatur.

obcensi in v. 388 (419) pro *accensi.* servatum est hoc participium Festi glossa p. 201, 5 *ob praepositione antiquos usos ésse pro ad testis est Ennius, quom ait l. XIIII: omnes occisi obcensique in nocte serena, id est accensi, et in Iphigenia* (trag. 202 R. = fab. 77 M.): *Acherontem obibo, ubi mortis thesauri obiacent* (*adibo . . adiacent* codex). in annalium versu non dubito quin adlitterationis causa minus usitatum vocabulum poeta adhibuerit.

4. Praepositiones.

ob praepositio non verbo praefixa sed cum nomine coniuncta in v. 295 (329) pro *ad*. testimonio supra ascripto addas has Festi glossas: p. 190, 7 *praepositionem ob pro ad solitam poni testis . . Ennius . .*; p. 178 a, 19 *ob* ⟨*alias pro ad ponitur, ut Ennius: ob*⟩ *Romam noc*⟨*tu legiones ducere coepit, et alibi*⟩ (fab. 396 M.)*: ob Troiam duxit*; cf. Paulus p. 179, 7; Pauli p. 147, 11 *mortem obisse dicimus ea consuetudine, qua dixerunt antiqui ob Romam legiones ductas et ob Troiam duxit exercitum pro ad* eqs. ad eandem aetatem vel antiquiorem etiam spectant quae praeterea extant quattuor exempla: Festi p. 233 a, 30 et 375 a, 14 (in XII tabulis) *ob portum ito*; Accii trag. 385 R. *tela ob moenia offerre*; inc. inc. fab. 94 R. *cuius ob os Grai ora obvertebant sua*; cf. Festus p. 201, 29 *ob os ad os significat*; Plauti Cas. fragm. apud Nonium p. 397, 2 *sufferam meum tergum ob iniuriam*. postea nemo, quantum scio, usus est *ob* praepositione a movendi verbo pendente.

5. Adverbia.

inde loci in versibus 22 (23) et 522 (538) pro *deinde* in tempore designando. fortasse eadem ratione accipienda est locutio illa in saturarum versu 3 (5). accedunt tres versus Lucretii (V 437. 741. 791), post quem nemo *inde loci* de tempore dixisse videtur. nam in Arateis a Cicerone conversis, ubi duodecim zodiaci signa enumerantur, versum 327 (573) *umidus inde loci conlucet aquarius orbe* ita interpretor, ut verbis *inde loci* caeli locus notetur.

parumper in versibus 54 (46). 74 (60). 443 (62). 214 (210) pro *cito ac velociter.* sic enim non solum in versu 54 (46) Nonium p. 378, 16 secuti vocem illam accipiemus, sed etiam ceteris locis, ac praecipue in versu 74 (60), ubi verba *campos celeri passu permensa parumper* aliam interpretationem non admittunt. apud alios eius usus exempla plane desunt. nam quod dicit Vergilius Aen. VI 382 *pulsusque parumper corde dolor*, explicandum est *dolor paulo post rediturus.* nec vero Handio (Turs. IV p. 404 sq.) astipulabimur *parumper* umquam *cito* significavisse prorsus neganti. immo in Ennii versibus supra allatis non dubium est quin trita et principalis[44] huius adverbii notio *per breve tempus* ita sit immutata, ut idem valeat ac *brevi tempore.*

tractim in v. 418 (442) pro *paulatim.* qua ratione praeter Ennium unus Lucretius bis hac voce utitur, cum ait: (*cernimus*) *per artus ire alios tractim gelidi vestigia leti* (III 529 sq.) et (*nubes*) *radentes corpora tractim* (VI 118). cf. glossam codicis Vaticani apud Maium VII p. 583^b *tractim*, *lente.*

quippe in versibus 357 (379) et 394 (430) pro *quidni.* insolentem hunc usum nemo testatur nisi Festus p. 257^a, 21 *quippe significare quidni* (*quodni* codex; corr. Ursinus) *testimonio est Ennius l. XI: quippe solent reges omnes in rebus secundis; idem l. XVI: quippe vetusta virum non est satis bella moveri; item alii complures.*[45]

Iam adicio nonnullas locutiones ad hanc quaestionem pertinentes, ac primum quidem ita comparatas, ut ab Ennio ipso inventae esse videantur, deinde eas, quas ab aliis imitatione poeta ascivit aut ex usu communi aequalium recepit.

Hellesponto pontem contendit in alto in v. 371 (404). arcus imago poetae animo obversatur, cum hac insolita locutione utitur.

aedificant nomen in v. 404 (435). complures viri docti in his verbis offenderunt, quod commoda sententia eis non efficeretur. alii igitur alia proposuerunt, ex quibus Vahleni (mus. Rhen. XVI p. 576) inventum ab ipso postea reiectum *aevificant nomen* silentio praeterire nolim. minus etiam dubitationis quam insolitum *aevificant* haberet *augificant*, quod etiam in Ennii fabulis (trag. 68 R. = fab. 182 M.) invenitur. neque tamen emendatione opus esse puto. etenim

[44] v. Pottii stud. etym. I^2 p. 468; Corsseni de pronunt. II^2 p. 852; cf. p. 300 ann. [45] de singulari illa *quippe* vocabuli significatione explicanda Ribbeckius disserit de partic. Lat. p. 17 sq.; v. etiam COMuellerum ad Festi p. 399, Corssenum de pronunt. II^2 p. 846.

nomen aedificant idem est atque *in gloria posteritatis sibi comparanda occupati sunt.* quid mirum in poeta, qui ab imaginibus multo audacioribus non abstineat, si gloriam magis magisque augendam cum aedificio extruendo comparat?[46]

clamor ad caelum vagit in v. 520 (472); cf. Varro de l. L. VII 104.

clamor volvendus per aethera ibidem. participium *volvendus* plane respondere Graeco ἑλισσόμενος Ritschelius (parergon p. 27) intellexit.

(*iuventus*) *sese exsiccat somno* in v. 459 (521) pro *expergiscitur.* testis atque interpres huius notabilis locutionis est Lactantius, cum ad Statii Theb. VI 27 *et cornu fugiebat Somnus inani* adnotat: *inani cornu ideo dixit, quia id noctis tempore totum diffuderat . . nam sic a pictoribus simulatur, ut liquidum somnum ex cornu super dormientis videatur effundere; sic Ennius . . .*

succincti corda machaeris in v. 392 (535). Servius in Aen. IX 678, cui hemistichium Ennianum debemus, ei haec praemittit: *ferrea corda habentes, i. e. dura et cruenta cogitantes, ut Ennium sit secutus, qui ait . . .*

irarum effunde quadrigas in v. 464 (581). audaciore imagine poetam uti nemo negabit (cf. Verg. Aen. XII 499).

cava caeli cortina in v. 9 (599).

cauponantes bellum in v. 201 (197). Aeschyleum (Sept. 545) καπηλεύειν μάχην Ennium hic imitatum esse constat. cauponandi verbum, quod in Labbaei glossis Graeco καπηλεύειν explicatur, praeterea uno Cassiodorii loco inveni hist. eccl. IV 24 (LXIX p. 972 Migne) *verbum veritatis cauponati.*

superum lumen in v. 106 (21) pro solis lumine. antiquiori aetati hanc locutionem tribuit Bergkius opusc. I p. 283 ann. nam praeter Ennianum duo eius exempla novimus, quorum alterum est apud Lucretium VI 856 *superum lumen,* alterum *lumine supero privetis* in devotionis carmine, quod Macrobius Sat. III 9, 10 e Furii vetustissimo libro sumptum memoriae prodidit.

in mundost in v. 457 (579). *in mundo esse* sive *habere,* quod praeterea apud comicos tantum poetas legimus, explicatur tribus grammaticorum locis: Pauli p. 109, 11 *in mundo dicebant antiqui, cum aliquid in promptu esse volebant intellegi*; Placidi p. 58, 16 D. *in mundo, in expedito vel ad manum, in procinctu*; Charisii I p. 201, 10 K. *in mundo pro palam et in expedito et cito.* exempla ipsa locutionis Lorenzius ad Plauti Ps. 478 exhibet. idem (p. 265 sq.) falsis quibusdam virorum doctorum opinionibus[47] refutatis cum Gronovio (lect. Plaut. p. 34) aliisque adiectivum, non substantivum *mundus* in locutione illa agnoscit.

---

[46] *aedificant nomen* defenditur etiam a Vahleno in ind. lect. Berolin. a. 1886/87 p. 6. [47] v. Rostii opusc. Plaut. I p. 277 sq.

C.

Verborum formae posteriore aetate non usitatae.

1. Substantiva.

Initium capio ab eis substantivis, quorum stirps posteriore consuetudine mutata est.

Casmenas in v. 2 (Naevii b. Pun. 2). versus, in quo inest vox Casmenarum, apud Varronem de l. L. VII 26 gravissime depravatus traditur. in codice enim Florentino haec leguntur: *cornua a curvore dicta, quod pleraque curvamus ac quas memorant nosce nos ēē. Camenarum priscum vocabulum ita natum ac scriptum est: alibi Carmenae ab eadem origine sunt declinatae. in multis verbis in quod antiqui dicebant s, postea dicunt r, ut in carmine Saliorum sunt haec.. quare ē Casmena Carmena carmina carmen; r extrito Camena factum.* multis virorum doctorum coniecturis omissis statim quam maxime probabilem iudico emendationem propono: *cornua a curvore dicta, quod pleraque curva. 'Musae, quas memorant Casmenas esse.' Camenarum priscum vocabulum ita natum ac scriptum est. alibi Carmentae ab eadem origine sunt declinatae. in multis verbis id, quod antiqui dicebant s, postea dictum r, ut in carmine Saliorum sunt haec . . quare e Casmena Carmena, e Carmena r extrito Camena factum. Musae quas* LSpengelio, *Carmentae* COMuellero, *dictum* LSpengelio, *e Casmena Carmena, e Carmena* (*a Carmena carmen* Jordanus symb. p. 132) ASpengelio debentur. pro *in quod antiqui dicebant s*, quod ferri nequit, ego *id quod antiqui dicebant s* facili emendatione scripsi. ac pro obscura librorum scriptura *nosce nos esse* non dubito quin *Casmenas esse* cum ASpengelio recte substituatur. hanc emendationem Scaligerum (coniect. ad Varr. p. 115 ed. a. 1581) primum protulisse video. quam neque a COMuellero neque a Vahleno neque a LMuellero commemorari profecto est quod miremur. itaque quibus potissimum rebus Scaligeri inventum commendetur, iam breviter indicabo. primum quidem eo accepto non plus quam quattuor litterae mutantur nec Casmenarum nomen aut plura etiam vocabula excidisse statuitur. deinde *Casmenas* ut vox posterioribus temporibus non usitata facile corrumpebatur. tum, id quod maximum est, commodus Scaligeri emendatione fit sententiarum nexus. Varro enim Casmenarum vocem in vetusti poetae versu scriptam explicare sibi proposuit. dicit igitur versu illo allato: haec est principalis Camenarum vocabuli forma; Carmentarum autem nomen eiusdem originis est: nam in multis verbis *s* littera postea in *r* mutata est velut in his e carmine Saliari sumptis . .; itaque e forma *Casmena Carmena*, ex hac *Camena* factum est. inde mea quidem sententia dilucide apparet in illo versu, sive Ennii sive alius poetae est[48], non *Camenas*, quod Bergkio (opusc. I

---

[48] certe non est Naevii versus, cum hexametri non pleni speciem prae se ferat.

p. 268) et Jordano (l. l.) placuit, sed *Casmenas* scriptum fuisse, praesertim cum ea forma etiam traditae scripturae vestigiis indicetur. iam Varroniano illi adde duo Festi testimonia: p. 205, 14 *pesnis, pennis, ut Casmenas dicebant pro Camenis* (sic cum COMuellero lego) eqs.; Pauli p. 67, 8 *antiqui interserebant s litteram et dicebant cosmittere pro committere et Casmenae pro Camenae.* aliud exemplum formae illius superest in carminis Priami versu a verbis *veteres Casmenas* incipiente (apud Varronem de l. L. VII 28).

Opscus in v. 294 (327). Oscos antiquiore consuetudine Opscos nominatos esse Festi glossa (p. 198, 29) docetur: *Oscos quos dicimus ait Verrius Opscos antea dictos teste Ennio* . . . de eodem nomine Festus agit altera glossa (p. 189ª, 24): *Obscum duas diversas et contrarias significationes habet . . et in omnibus fere antiquis commentariis scribitur Opicum pro Obsco, ut in Titinii fabula quinta* (*Quinto* [104 R.] Scaliger)*: qui Obsce et Volsce fabulantur, nam Latine nesciunt. a quo etiam verba impudentia et elata appellantur obscena, quia frequentissimus fuit usus Oscis libidinum spurcarum.* conferas Pauli excerptum p. 188, 3, unde Festi verba ex parte corrigas: *Opicum quoque invenimus pro Osco: Oscis enim frequentissimus fuit usus libidinum spurcarum, unde et verba impudentia appellantur obscena. Titinnius: Obsce et Volsce fabulantur* . . . sed ne in his quidem intellego, quomodo forma *Opicum* ad sequentia verba quadret. omnia plana erunt, si cum Reitzensteinio (Act. philol. Vratislav. I 4 p. 78 ann.) *Obscum pro Osco* (*Opscum pro Osco* Huschkius monum. ling. Osc. p. 278) et apud Festum et apud Paulum restitueris. altera igitur glossa formam *Opscum*, altera *Obscum* grammaticus explanat.

Bruttate in v. 488 (601) pro *Bruttio.* Ennio et Lucilio obsoletam illam formam Porphyrio (in Hor. sat. I 10, 30) ascribit, cum ait: *et Ennius et Lucilius* (III 23 M.) *Bruttace* (*Brutate* Paris. 7988) *bilingui dixerunt.* accedit Pauli glossa (p. 35, 5): *bilingues Bruttates* (sic Monac.; *Brutaces* Guelf., ut videtur) *Ennius dixit, quod Bruti et Osce et Graece loqui soliti sint.* Porphyrionem, non Paulum ipsa poetae verba afferre LMuellerus perspexit. neque tamen ei assentior apud Ennium *Bruttace* scribenti. nam quid impedit, quin formis *Arpinas Fidenas Capenas* aliis collatis *Bruttate* legamus, quod idem Muellerus prius in Lucilii editionem receperat?

Volsculus in v. 166 (166) pro *Volscus.* vox *Volsculus* alibi non reperitur. alii[49] eam formam deminutivam iudicant, alii[50] paragogicam sicut *Aequiculus* et *Ocriculum.*

puellos in v. 278 (233). de deminutivo *puellus* antiquioris sermonis proprio habemus testimonium Suetonii (Calig. 8) *quod antiqui etiam . . pueros puellos dictitarent* et alterum Prisciani (II p. 231, 13 H.) *etiam hic puerus et hic et haec puer vetustissimi protulisse inveniuntur et puellus puella.* adiciantur tres glossae: Festi

---

[49] v. Niebuhrii hist. Rom. I p. 77 ann. et LMuelleri Enn. p. 204.
[50] v. Bergk opusc. I p. 215; Mommsen de dialectis Ital. inf. p. 245. 262.

p. 249^{a}, 15 *puelli per deminutionem a pueris dicti sunt* . .; Placidi p. 76, 6 D. *puellos pro pueris legimus*; Nonii p. 158, 14 *puellos, pueros.* ex Plauto (fr. 76 Wint.) *huic puello* Festus, Priscianus (l. l. v. 22) *hic puellus* affert. in Lucilii fragmentis bis (IV 28. X 28 M.), apud Lucretium semel (IV 1252) prisca illa vox invenitur. atque etiam in Varronis saturis Menippeis semel (p. 228, 1 R. fr. 540 B.) legitur *puellus*, ter (p. 98, 7. 162, 12. 217, 4 R. fr. 19. 285. 485 B.) *puellum.* constat tamen a Varrone saepe obsoleta vocabula ex Ennio potissimum scaenicisque poetis deprompta praecipue in poematis adhiberi. et ne ex eo quidem posterior vocis usus cognoscitur, quod in carmine amici Gellii (XIX 11, 4) *puellum savior* et apud Apuleium (met. VII 21) *tener puellus* legitur.

solum in v. 99 (93) et *sola* in v. 151 (152) pro *solium* et *solia.* utroque loco soli vocabulum non terrae solum significare, sed idem esse ac *solium* iam Columna (p. 110) intellexit. nam si pro terrae solo vel fundamento *solum* et *sola* hic acceperimus, vix commoda efficietur sententia. contra *regni scamna soliumque* non minus apte dicitur quam *imperium et solia regni.* errat igitur Festus, qui p. 298^{b}, 33 versui 151 verba *solum*, *terram* praemittit. quem errorem nemo nostra aetate redarguit, nisi quod Bergkius opusc. I p. 77 in versu 99 *solum* Columnae ratione interpretatur. idem Columna merito huc revocat aliam Festi glossam (p. 298^{b}, 14; cf. Paulus p. 299, 8) sic scriptam: *solla appellantur sedilia, in quibus non plures singulis possint sedere, ideoque soliar sternere dicuntur, qui sellisternium habent, et solaria vocantur Babylonica, quibus* (*in quibus* Paulus) *eadem sternuntur. quae, ut ait Verrius, omnia ducta sunt solo* (*a solo* Ursinus). *alvei quoque cavandi* (*lavandi* idem) *gratia instituti, quo singuli descendunt, solla dicuntur, quae ascendendo* (*a sedendo* idem) *potius dicta videntur quam a solo.* Pauli libri easdem vocabulorum formas exhibent quas Festi codex. ex quibus *solla* quater traditum aut *solaria* commutari nolim. neque vero dubito, quin pro *soliar* non solum apud Festum cum editoribus ante COMuellerum, sed etiam apud Paulum *solla* scribendum sit. *soliar* enim non modo a ceteris formis *i* littera carentibus abhorret, verum etiam sententiae prorsus repugnat. nam si *soliar* legimus, pronomen *eadem* ad *solla* in initio glossae positum referendum est. sed praeterquam quod contortior ita fit oratio, etiam verbo *sternuntur* ad *soliar* illud *eadem* spectare indicatur. iam addo tertiam Festi glossam (p. 290^{a}, 26) misere truncatam, quam alia ratione refici velim ac viri docti adhuc fecerunt. etenim quae apud illum sub *s* littera leguntur . . *ri carmine ap . . . pia pro sedilibus di . . . huc in consuetudi* . ., ea collata glossa, quam modo tractavi, fortasse sic fere supplenda sunt:

⟨*sola Aelius dicit in Salia*⟩*ri carmine ap-*
⟨*pellari sedilia. so*⟩*lia pro sedilibus di-*
⟨*cere habemus ad*⟩*huc in consuetudi*⟨*ne*⟩.

habemus igitur tres eiusdem vocabuli formas *solum sollum solium*, quarum antiquissima fuit *solum l* consonante non geminata.

volup in v. 247 (303). apud Neuium (de formis II² p. 101 sq.), qui testimonia et exempla vocis *volup* congessit, desidero Frontonis locos (p. 225 Nab.) *qua malum volup* et *tu unquam volup?* atque Arnobii (adv. nat. VII 34) verba *volup . . est*. Ritschelius (opusc. II p. 450 sqq.; v. etiam Buecheleri de decl.² p. 11) cum omnino de hoc vocabulo tum de usu eius Plautino disseruit. Ennii versus corruptus quomodo emendetur, non satis liquet. tamen vix dubium est, quin *volup*, quod plerisque libris tradatur, ibi legendum sit (v. Vahlenum mus. Rhen. XIV p. 558 sqq.). ceterum substantivum esse *volup*, non adverbium Columna (p. 137) et LMuellerus (comm. p. 191 sq.) veteres grammaticos (Diom. I p. 452, 26 K.; Non. p. 187, 6) secuti iure videntur affirmare.[51]

famul in v. 317 (337) pro *famulus* (Mar. Vict. VI p. 56 K.; Non. p. 110, 8). quae de hoc nomine imminuto nota sunt, a Neuio (l. l. I² p. 80), Corsseno (de pronunt. II² p. 71. 593), Bergkio (opusc. I p. 279) commemorantur.

suadae in v. 309 (353). suadae vocem, quae substantivum est etiam apud Ausonium (epist. 27, 7 Peip.), pro nomine appellativo accipio. nam insulsus esset poeta, si Cethegum, id quod LMuellero aliisque videtur, Suadae deae medullam appellaret. recte igitur Vahlenus et Hertzius *suadae*, non *Suadae* ediderunt.

vagore in v. 408 (473) pro *vagitu*. sic Ennium et Lucretium (II 576) dixisse Festus p. 375ᵃ, 7 et Nonius p. 184, 21 duobus illorum versibus allatis testantur.

propagmen in v. 458 (587). libri Nonii versum Ennianum sub vocibus *propages* (p. 64, 34) et *propago* (p. 221, 11) commemorantis altero loco habent *propaginem*, altero *propagimen* et *propagmen*. LMuellerus et Baehrensius Columna duce *propagen* scribunt. quae mutatio mihi non probatur, cum et tradita scriptura potius *propagmen* quam *propagen* indicetur et illud multis similibus substantivis suffixo *men* formatis fulciatur. nam ut *levamen* ad aliquam rem levandam valet, ita *vitae propagmen* ad vitam propagandam valere arbitrabimur.

termo (cf. Saalfeldi tens. p. 1093) in versibus 470 (591) et 471 (592) pro *terminus*. apud Festum p. 363ᵃ, 23 de hac forma leguntur haec: *termonem Ennius Graeca consuetudine dixit, quem nos nunc terminum, hoc modo: ingenti vadit cursu, qua redditus termost et hortatore bono prius quam* (*prius quam iam* Vaticani RS; *prius qui iam* ed. pr.) *finibus termo* (*termo est* ed. pr.[52]). e vulgari sermone poetam hoc sibi assumpsisse putaverim, quod etiam in titulo quodam (CIL. III n. 5036) *Termunibus Auc⟨ustis⟩* invenitur.

---

[51] de etymologia v. Corssenum de pronunt. II² p. 597. 372. 1024.

[52] v. Mommsenum in actis acad. Berol. a. 1864 p. 73. conicio: *hortatore bono, proprius qui finibus Termost*; cf. quae de Termino narrat Livius I 55, 3 sqq.

Omitto voces imminutas *do* in v. 563 (553), *cael* in v. 561 (554), *gau* in v. 451 (555). in saturas enim lusus illi grammatici relegandi esse videntur (v. Ribbeckium mus. Rhen. X p. 289).

Burrus[53] in versibus 184 (180) et 275 M. sic utroque loco scribendum est (*Pyrrus*, *Pyrrh*, *Phyrrus* libri) secundum Ciceronis testimonium (orat. 48, 160): *Burrum semper Ennius, numquam Pyrrhum . . ipsius antiqui declarant libri: nec enim Graecam litteram adhibebant* eqs. adice duos alios locos huc spectantes: Quintil. I 4, 15 *b quoque in locum aliarum dedimus aliquando, unde Burrus et Bruges et Belena*; Terent. Scauri p. 14, 5 K. *quem* (*nos*) *Pyrrhum, antiqui Burrum* (*byrrum* libri; corr. Putschius). eodem modo scribebatur Ennii temporibus adiectivum *burrus*, cuius notio aliquot glossis[54] definitur.

Pariter antiquiorem *u* litterae pro Graeca υ ponendae consuetudinem in annalibus v. 38 (30) in nomine *Eurudica* cerni Ribbeckius (ann. phil. 1857 p. 316) ostendit. idem formas *Olumpum* in v. 1 (1), *Olumpi* in v. 198 (193), *Olumpia* in v. 442 (482), *Capus* in v. 31 (17), *Libuam* in v. 303 (273), *Cuclopis* in v. 326 (342), *lucinorum* (hoc duce Ritschelio, quem v. opusc. II p. 479 sqq.) in v. 328 (344) contra librorum scripturam Ennii annalibus restituit.

frus in v. 562 (269) et *frundes* in v. 266 (268). vetustissimis frondis vocem *u* vocali scriptam grammatici his locis tribuunt: Charisius I p. 130, 29 K. *frus, haec frus, quia sic ab Ennio est declinatum . . non frondes* eqs.; Prisc. II p. 26, 25 H. *multa vetustissimi etiam in principalibus mutabant syllabis . . frundes, non frondes*; Velius Longus p. 49, 15 K. *antiqui confusas o et u litteras habuere . . in multis etiam nominibus variae sunt scripturae, ut . . frondes frundes* (cf. Ausonii technop. 161). exemplis talium formarum a Schuchardtio (de vocal. ling. Lat. vulg. II p. 116. 118) et a Corsseno (de pronunt. II² p. 185) compositis *frundiferos* ex Naevii fabulis (25 R.) adicias.

moeros[55] in v. 376 (405). muri nomen, cuius cetera exempla in annalibus sunt haec: *murum* v. 599 (501), *muro* v. 29 (98), *muris* dativus v. 558 M., *muros* v. 190. 391. 527 (184. 422. 519), *muris* ablativus v. 294 (327), *oe* diphthongo scriptum praeterea in duobus titulis et in vetustis apud Varronem formulis occurrit, quos locos Corssenus (l. l. I² p. 704; cf. p. 708. 372) composuit. verum hoc notandum est, alteram (CIL. I n. 617) illarum inscriptionum, in qui-

[53] v. Ritschelii opusc. IV p. 146 sqq. (cf. p. 232 ann. 235 sq. 618 sq.). II p. 477 sqq. (cf. p. 722 sq. 725. parergon p. 410); v. Corssenum de pronunt. I² p. 126 sq.; addit. p. 177 sq.; Curtium etym.⁵ p. 416; alios, quos enumerat Saalfeldus tens. p. 195. [54] v. Hildebrandi gloss. p. 38; Loewii prodr. p. 75 ann. sed glossis apud Hildebrandum hasce adice: Pauli p. 36, 12 *burranica potio . . a rufo colore, quem burrum vocant*; Philox. gloss. *πυρρόν, burrum; πυρρός, ruseus* (lege *russus*), *rubricus, rufus, barus* (fortasse *birrus*), *burrus*. [55] v. Ritschelii opusc. IV p. 168 (cf. p. 51). 765; Ribbeckium l. l. p. 318; Corsseni addit. p. 78 sq.

bus *moerum* inest, non anno LI post Ch., id quod apud Corssenum legimus, sed anno LI ante Ch. Mommseno (l. l. et IRN. n. 322) teste confectam esse. de altera (CIL. I n. 1012; Ritschelii PLME. p. 71) Mommsenus dicit: 'vereor admodum, ne hic titulus litteris etiam scriptus minime bonis altam antiquitatem, quam prae se fert, totam mentiatur' eqs. ceterum non *moeros* sed *moiros* forma vere Enniana putanda est, cum *oe* diphthongus pro antiquissimo *oi* ac posteriore *u* posita in monumentis non ante annum urbis DCXL inveniatur (v. Ritschelii opusc. IV p. 168. 765).

Sequitur ut ea substantiva commemorem, quae ab Ennio alia ratione atque a posterioribus declinantur. quorum usus quibus terminis circumscribatur, ex locis a Neuio collectis plerumque apparet.

volturus sive *volturis* nominativus in v. 141 (138). grammaticorum de hac singulari forma testimonia diversasque codicum scripturas in LMuelleri editione invenies.

sagus in v. 500 (254) et inc. l. LIV (255) pro *sagum* (v. Neuium de formis I^2 p. 538).

sale in v. 378 (410) pro *sal.* eis, quae Neuius (l. l. p. 153)[56] exhibet, addendum est corruptissimum Fabii Pictoris fragmentum, cuius Varro apud Nonium p. 223, 17 his verbis mentionem facit: *commentario veteri Fabii Pictoris legi: mustes fit et* (*muries fit ex* Cuiacius) *sale*, *quo* (*quod* idem) *sale sordidum sustum* (*ustum* Aldina) *est et ollam* (*in ollam* Scaliger) *rudem facidem* (*fictilem* Cuiacius) *adiectum est*, *et postea id sal virgines Vestales serra ferrea secant.* in Ennii versu antecedenti LMuellerus (cf. comm. p. 199) Parrhasium secutus pro *placide* scripsit *placidum*, ut minime opus sit cum Bergkio (opusc. I p. 278 sqq.) *marmore* pro accusativo habere aut aliud quicquam mutare.

frux nominativus in v. 412 (439) et pro *frugi* in v. 318 (338) (v. Neuium l. l. p 492). Bergkius (symb. crit. p. 78 ann.) alterum *frux,* quod teste Prisciano (II p. 278, 16 H.) idem est ac *frugi homo,* genetivum iudicat e genetivo qualitatis *frugis* contractione ortum.

canes nominativus singularis in v. 518 (596).[57]

Genetivi in *-ai* exeuntes[58] in versibus 16 (483). 34 (66). 122 (125). 197 (192). 209 (205). 347 (369). 479 (605).

vias genetivus in v. 421 (485). viae quidem vocabuli sic declinati exemplum non aliud novimus, nisi quod in locutione *intervias* Bergkius (l. l. p. 80 sq.) et Buechelerus (de decl.^{2} p. 63) *vias* pro genetivo habent. sed nonnulli eiusdem generis genetivi extant antiquis-

---

[56] cf. art. anon. Bern. in Hageni anecd. Helvet. p. 112, 5; v. Corssenum de pronunt. II^2 p. 596, symb. p. 380. [57] exempla Neuius collegit (de formis I^2 p. 183; v. etiam Ritschelii opusc. II p. 654 sqq.; Corsseni de pronunt. II^2 p. 230 sq.). adde Plauti Most. 849 et Men. 718, ubi libri alii *canes*, alii *canis* habent. Most. 41 pro librorum BCDF lectione *canem* (*canāē* D) *caprā* (*caprān* B) *commixtam* (*commixta* D) Scaliger *canes capro commixta* restituit. [58] v. Ritschelii opusc. IV p. 413 ann. (cf. p. 506 sq. 530); exempla congessit Neuius l. l. p. 9 sqq.; v. etiam LMuellerum Enn. p. 192 sq.

simi sermonis proprii, qui apud Neuium (l. l. p. 5 sqq.; v. Corsseni de pronunt. I² p. 769 sq. 772. II² p. 722. 725; Buechelerum l. l. p. 62 sq.) congesti sunt.

Metioeo Fufetioeo sive *Mettoeo Fufetioeo* in v. 129 (129). sic formas illas maxime notabiles, quas Homeri imitatione Ennius assumpsisse videtur, cum GHermanno (ap. Meyerum in Quintiliani editione), Ritschelio (opusc. III p. 711 sqq. 727 sq.), Clausseno (ann. philol. suppl. VI p. 323 sq.), Jordano (symb. p. 243 sq.) secundum codicum scripturas lego. minus enim probabilia sunt, quae Vahlenus (in editione), Bergkius (opusc. I p. 260 sqq.), Buechelerus (de decl.² p. 106), FSchoellius (mus. Rhen. XL p. 320 sq.; v. etiam LMuellerum Enn. p. 193) de frustulo Enniano apud Quintilianum I 5, 12 servato protulerunt. diversas de loco Quintiliani explicando virorum doctorum sententias aut defendere aut refutare hic omitto.

homonem in v. 141 (138). quae grammatici de hac antiquissima substantivi hominis declinandi ratione tradunt, in Neuii libro (I² p. 164; cf. Corsseni symb. p. 242 sqq.) invenies. Ennius in annalibus semel tali forma, formis correpta paenultima sexiens (v. 35. 179. 255. 308. 566. 567) utitur. apud Plautum Bergkius (opusc. I p. 147 sqq. 304) aliquot locis a Neuio indicatis vetustiores formas coniectura restituit, ex quibus Lorenzius in Menaechmon editione *homonis* bis (v. 489. 709), *homoni* semel (v. 98), *homonem* bis (v. 316. 903), *homones* semel (961), *homonum* semel (v. 223) in textum recepit. ipse Lorenzius *homoni* et *homones* singulis exemplis (v. 89. 308) ditavit. in Trinummo v. 1018 Ritschelius Bergkio duce *homonibus* et v. 1130 *homoni* (opusc. II p. 720) scripsit. nonnulla alia eiusmodi Plauto reddita ab Usenero commemorantur.[59] postremo Novius com. 88 R. graviorem illam formam usurpavit, si vera est coniectura Ribbeckii in Novii reliquiis *homonum* pro *homo non* scribentis.

noctu ablativus in v. 153 (157) et 169 (256).[60]

nox in v. 412 (439), quod Bergkius (symb. crit. p. 78 sqq.) pro genetivo habet. hoc idem significare ac *noctu* adverbium vel inde apparet, quod ablativo *luci* respondet. quae sententia insuper confirmatur Macrobii testimonio (I 4, 19) e Gellio (VIII 1 lemm.) petito: *decemviri in XII tabulis inusitatissime nox pro noctu dixerunt . . si nox furtum faxsit* (tab. 8, 11 Sch.). accedit Lucilii versus (III 22 M.) *hinc media remis Palinurum pervenio nox* et fortasse duo loci Plautini: Asin. 579 *nox* (*mox* libri; *nox* Lipsius) *si voles manebo*; Trin. 864 *quo nox* (*mox* libri; *nox* Scaliger) *furatum veniat.*

lapi in v. 390 (421) pro *lapide.* cui formae testimonio est unus

---

[59] Asin. 473. Aul. 111. Cas. III 2, 22. Bacch. 573. Poen. 671. Stich. 171. v. Useneri prooem. ind. schol. Gryphisw. aest. 1866 p. 9; Ritschelii opusc. II p. 493. [60] v. Neuium l. l. I² p. 679 sq., apud quem tamen desidero hos locos: Plauti Amph. 412 *noctu hac*; 404 et 731 *hac noctu*; Laberii 69 R. *hac noctu* (sic Quicheratius; *nocte* libri); Gellii VIII 1 lemmate *hesterna noctu.*

Prisciani locus II p. 250, 9 H. *vetustissimi etiam huius lapis protulerunt; Ennius . . .*

speres nominativus pluralis in v. 410 (448) et accusativus in v. 132 (119); v. Neuium l. l. p. 570.

volta accusativus pluralis in v. 536 (583); v. eundem l. l. p. 524.

armentas accusativus pluralis inc. lib. rel. XII (ann. 603).[61]

His subiungo ea substantiva, quae alio genere ab Ennio atque a posterioribus usurpata esse grammatici docent.

cupressi in v. 267 (265) et *cupressos* trag. 446 (ann. 267) generis masculini; v. Neuium l. l. p. 622.

malo cruce in v. 361 (395); v. eundem l. l. p. 666.[62]

arcus femininum in v. 393 (428); v. eundem l. l. p. 679; LMuellero (Enn. p. 205) Priscianus (II p. 259, 5 H.), qui hunc usum testatur, falli videtur, quod Ennii versum sine dubio vox *iris* secuta sit. sed in hac coniectura traditae scripturae *aspiciunt* et *perhibentur* plane negleguntur. verisimilius est, quod Vahlenus (mus. Rhen. XVI p. 575 sq.) proposuit: *arcus subspiciunt, mortalibus quae perhibentur.*

aëre feminini generis in v. 439 (495); v. Neuium l. l. p. 657.

lapides item in v. 542 (608); v. eundem l. l. p. 661.

metus item in v. 537 (526); v. eundem l. l. p. 679. Nonius p. 214, 7 Ennii versus sic mentionem facit: *metus masculino* (*masculini* G; *masculino feminino* H[1]; *masculini non feminino* L; v. LMueller in Nonii editione) *Nevius . . Ennius* (*feminino Ennius* editores): *ni metus ulla* (*ullu'* Ribbeckius ad Enn. trag. 387; sed v. LMueller l. l.) *tenet . . .*

2. Adiectiva.

Laurentis nominativus in v. 35 (15) pro *Laurens*. vetustiorem huius formae aliarumque eiusmodi usum Priscianus II p. 337, 11 H. sic testatur: *veteres huiuscemodi nomina in is proferebant hic et haec Arpinatis dicentes . . Laurentis etiam pro Laurens dicebant; Ennius . .*, et p. 133, 24 (cf. p. 129, 2): *in tis quoque inveniuntur denominativa, sed antique prolata, paenultimam natura vel positione longam habentia, ut . . Laurentis quoque pro Laurens . . teste Capro . . qui tamen nominativi nunc in usu non sunt.*

cuiatis item in v. 283 M.[63]

veter pro *vetus* in v. 17 (16). ascribo grammaticorum testimonia, quae apud Neuium (de formis II[2] p. 41) non plena inveniuntur: Prisc. II p. 97, 6 H. *veterrimus quasi a veter positivo, quod Capri quoque approbat auctoritas et usus antiquissimorum; Ennius . .*;

[61] v. Neuium l. l. p. 552; sed omitte Servii locum ibi notatum (in Aen. III 540); cf. Thilonis et Hageni edit. [62] dubia est Bergkii opinio *cruce* pro genetivo accipientis (symb. crit. p. 150). [63] v. Neuium de formis II[3] p. 16; omnino de eiusmodi adiectivis agit idem l. l. p. 15 sqq. cf. Ritschelii opusc. II p. 371 sq.

p. 264, 14 *quamvis veter etiam analogia exigit, ut bene sit dictum; Accius . . pro vetus, quod Capro quoque prudentissime videtur, cum comparativus veterior et superlativus veterrimus veter desiderent positivum*; III p. 481, 11 *antiquissimi veter dicebant*; Aldhelmus V p. 577 Mai *antiquissimi non vetus sed veter, ut Ennius . . .*[64] certum eius formae aliud exemplum non superest. nam valde dubia est coniectura Scaligeri, qui in augurum formula apud Varronem de l. L. VII 8 bis *olla veter* pro *ullaber* et *ollaner* codicis Florentini scripturis substituit (v. Bergkii opusc. II p. 737; symb. crit. p. 22 ann.; Jordani symb. p. 95). quod LSpengelius Varr. de l. L. VI 2 pro *a vetere* coniecit *a veter vetus*, a Bergkio (symb. l. l.) merito refutatur.

debil in v. 329 (341) pro *debilis*. Nonii p. 95, 30 libri Ennii exemplum sic exhibent: *debilo, debilis; Ennius lib. VIIII: debilo homo.* quam lectionem Hugius (ed. p. 33) voce Luciliana (II 1 M.) *impuno* collata defendit. sed Columna (p. 150) et Lipsius (ant. lect. IV 5), quos Ritschelius (opusc. II p. 331), Bergkius (opusc. I p. 279), LMuellerus (comm. p. 194) secuntur, *debilo* in *debil* mutant simile vocabulum *famul* aliaque in comparationem vocantes.

acer femininum in v. 406 (471) pro *acris.*[65]

paluda in v. 510 (597). Ennii versus apud Varronem de l. L. VII 37 sic commemoratur: *corpore Tartarino prognata paluda virago; Tartarino a Tartaro . . paluda a paludamentis*, cum Probi (in Verg. buc. 6, 31) libri habeant: *corpora Tartareo prognata palude virago.* Turnebus Vossiusque (inst. orat. IV 10, 3) de Minerva dea cogitantes ex Probo *palude* assumpserunt, ut paludem lacum Tritonium intellegerent. quae opinio haud probabilis est, quia Varronis testimonium obstat ac verba Ennii ad Minervam minime quadrant. potius Scaligero (ap. Columnam p. 201) assentior, cui Alecto furia a poeta designari videtur. apte enim dira illa dea appellatur virago corpore Tartarino prognata, de qua Vergilius dicit *virgo sata Nocte* (Aen. VII 33) et *Cocytia virgo* (v. 479) et *odit et ipse pater Pluton, odere sorores Tartareae monstrum* (v. 327 sq.). *paluda* autem, quod idem esse ac *paludata* Varro solus docet, optime convenit deae, quam bella ciere Vergilius saepius (v. 335. 455. 482) affirmat.

celerissimus superlativus in v. 448 (505) et 579 (504); v. Neuium l. l. p. 104.

hebem libro XVI fr. 23 (fr. 35) pro *hebetem*; v. eundem l. l. p. 40; Corssenum de pronunt. II² p. 538 ann.

praecipe in v. 391 (422) pro *praecipite*; v. Neuium l. l. p. 39.

Tartarino in v. 510 (597) pro *Tartareo*. praeter ea, quae supra sub voce *paluda* attuli, memoranda est Festi glossa p. 359ᵇ, 25

---

[64] cf. art. anon. Bern. in Hageni anecd. Helvet. p. 81, 1.

[65] v. Neuium l. l. II² p. 10; grammaticorum locis ab eo allatis adde hos duos: Prisc. II p. 229, 20 H. *acer, acris; et sciendum, quod in utraque terminatione utriusque generis inveniuntur haec: . . Naevius . . Ennius . .*; Capri de verbis dub. VII p. 107, 6 K. *(dubia) acris et acer, quamvis dicant plerique acris femininum, acer masculinum.*

Tartarino cum dixit Ennius, horrendo et terribili Verrius vult accipi, a Tartaro, qui locus apud inferos.

cracentes in v. 497 (540) pro *graciles.* v. Corssenum l. l. I² p. 795. vox *cracentes* glossis[66] tantum servata priscam vetustatem olet. *c* litteram in ea antiquissima consuetudine pro *g* scriptam agnoscimus (v. Ritschelii opusc. II q. 424).

3. Pronomina.

me in v. 128 (126) pro *mihi.* magnam dubitationem viris doctis movit Festi glossa p. 161ª, 6 *me pro mihi dicebant antiqui, ut Ennius: si quid mutierit* (*me fuerit* vulg.; *me inciderit* LMuellerus) *humanitus, ut teneatis, et Lucilius: nunc ad te redeo, ut quae res me impendet agatur.* nam apud Lucilium *me* accusativus est, in Ennii versu ablativus vulgata lectione accepta. Vahlenus igitur et LMuellerus (comm. p. 181) de usu syntactico a Festo agi putant, ita ut *me* sive accusativus sive ablativus pro dativo positus esse dicatur. quod non adducor ut credam, quia grammatico illud accuratius definiendum erat. immo *me* dativum pro *mihi* vel *mi* ab antiquis usurpatum Festus testatur. et quamquam parum apta exempla ille quidem elegit, tamen alia extant ita comparata, ut res ipsa negari non possit. Neuius l. l. II² p. 181 quattuor eiusmodi locos profert, ex quibus duo sunt Plautini. etenim Bacch. 565 *me ires consultum male* et ibd. 684 *hunc . . male me consuluisse* omnes libri habent, nisi quod posteriore loco in codice B pronomen desideratur. deinde in formula illa, qua augures in templo faciendo utebantur (Varronis de l. L. VII 8), tradita verba *item testaque me ita sunto* ab editoribus sic exhibentur: *templa tescaque me ita sunto.* denique apud Varronem rerum rust. III 16, 2 *hereditate me cessa* legimus. quod vero ex Catullo 37, 11 *me* dativum Neuius affert, alienum ab hac quaestione iudico, cum illic sicut apud eundem 77, 3 cum Schwabio *mei* scribendum esse videatur. sed nonnulla alia repperi, quae illis quattuor exemplis addam. Plauti Truc. v. 914 pro *mi* BCD *me*, LZ *mea* exhibent et Trin. v. 53 Studemundus in codice Ambrosiano legit: *si quid me malist* (*si quid mi malist* Ritschelius legit). deinde in Afranii versu (com. 268 R.) ubi pro *nulla inest paratio* Ribbeckius *nulla mi est paratio* restituit, fortasse *nulla mest paratio* scribendum est. ac similiter in Varronis saturarum fragmento (p. 204, 4 R. fr. 440 B.) eo, quod in Nonii (p. 190, 28) codice Harleiano manu prima scriptum est *medeo mest opus* (*medico mi est opus* m. sec.), vera lectio *medico mest opus* indicari videtur. maximi vero momenti esse ea existimo, quae insunt in formula illa vetustissima, cuius supra mentionem feci. ibi enim non semel sed ter dativum *me* deprehendi. nam verba depravata *templum tectum quem festo*, quae bis in membris aequalibus liber Florentinus habet, Turnebi invento *tescumque* accepto sine dubio sic sananda sunt: *templum tescumque me esto.* facillima sane

---

66 collectae exhibentur in Hildebrandi gloss. p. 82; cf. p. 157.

haec est emendatio et quae trium membrorum (*templa tescaque me ita sunto* et bis *templum tescumque me esto*) concinnitate maxime commendetur. ceterum si quis paucis illis Plautinis exemplis quae supra attuli parum probari arbitretur, is meminerit *mi* raro, plerumque *mihi* pro eo in Plauti libris inveniri.

sas in v. 103 (102) pro *suas* et *sis* in v. 150 (151) pro *suis*. Festo p. 325, 17 (cf. Paulus p. 324, 1) priorem versum afferenti *sas* idem esse ac *suas* videtur, cum Verrium pro *eas* illud accepisse dicat. quam quaestionem nos diiudicare non possumus, quod ille Ennii versus propter metrum potissimum corruptelae suspitionem movet. sed utcumque ea res se habet, alii quoque loci, quos Neuius (l. l. p. 189 sq.) collegit, his vetustis possessivi pronominis formis testimonio sunt. inter illos locos etiam duo posterioris aetatis tituli inveniuntur, quorum in altero (CIL. V 1 n. 2007) *coniugi so*, in altero (ann. inst. arch. Rom. a. 1856 p. 23, 132) *sa pecunia* lapidi incisum est. sed cum in eis etiam nonnulla alia vitiose scripta sint, velut *si* pro *sibi* et *um* pro *eum*, non est quod barbarismos illos hic respiciamus. Ennium autem Ritschelius (opusc. IV p. 109) formis illis eo consilio usum esse censet, ut scribendi rationem pronuntiationi accommodaret. ceterum vulgatae formae saepius etiam in Ennianis reliquiis reperiuntur.[67]

mis in v. 131 (145) pro *meis*. Priscianus (III p. 2, 28 H.) quidem Ennii versum sic memoriae prodidit: *ego, mei vel mis .. Ennius in II: ingens cura mis concordibus* (*cum cordibus* Heidelb.; *cum concordibus* Halberst.; *cum concordibus* reliqui) *aequiperare; mis dixit pro mei.* sed in his viri docti compluribus de causis offenderunt. alter scrupulus metri ratione ortus fortasse ita removebitur, ut *curast* pro *cura* cum Ribbeckio (mus. Rhen. X p. 274) scribatur. alterum Vahlenus (ibd. XVI p. 574) attigit, cum dixit dativum potius pronominis quam genetivum expectari. ac profecto neque cum substantivo *cura* neque cum *concordibus* genetivus *mis* commode coniungitur. minime vero cum Vahleno *ingens cura mihist* legi velim, sed *mis* idem esse ac *meis* ratus Ribbeckii emendationem retineo. nam multo aptius quam unus plures concordibus aequiperare dicuntur (*illis* coniecit Baehrensius fr. 90). Priscianum igitur erroris arguere non dubito. ipsius autem formae *mis* alterum exemplum Plauti Trin. 822 libris B C traditur, ubi Ritschelius (opusc. IV p. 466; cf. adn. ad Trin. 822; opusc. IV p. 109) et Buechelerus (de decl.[2] p. 44) eam defendunt.

sum in versibus 102 (99) et 165 (144) pro *eum*, *sam* in v. 228 (225) pro *eam*, *sos* in versibus 22 (23). 152 (153). 261 (236). 358 (380) pro *eos*, *sapsa* in v. 372 (406) pro *ea ipsa*[68]. Festus (v. Neuium de formis II[2] p. 197 sq.), qui has formas solus testatur, pronominis

[67] v. LMuelleri indicem verborum. Baehrensius etiam fr. 160 (v. 278 V.) *sos* pro *suos* scripsit et fr. 57 (v. 29 V.) *manu sa* coniecit. [68] v. GMeyer ad hist. stirpium format. et decl. indog. p. 14; Curtium etym.[5] p. 394; Corssenum de pronunt. I[2] p. 777. II[2] p. 847.

non compositi Enniana tantum exempla, compositae vocis *sapsa* etiam Pacuvianum (v. 324 R.) profert. verum alibi quoque talium formarum vestigia viri docti deprehenderunt. ac primum quidem in lege XII tabularum 7, 7 Sch. pro codicum lectionibus *nisandilapidas* (Vat.), *insamdilapides . . . sunt* (Victor.), *dionisam lapides sunt* (Ursin.) Mommsenus (in actis acad. Berol. a. 1864 p. 85) *ni sam dilapidassint* egregia emendatione reposuit (v. Schoellii leg. ed. p. 60 sqq.). deinde in legibus sacris apud Ciceronem de leg. II 8, 21 libri HB (v. Jordani symb. p. 232 ann.) *sisque* pro *isque* habent, idemque Vossiani A scriptura *iisque* in rasura posita non obscure indicatur. Vahlenus (ephem. gymn. Austr. a. 1860 p. 18 sq.) igitur Schoellio (l. l. p. 61 sq.) probante *sisque* scripsit. hoc Jordanus (l. l. p. 247) satis infirmo argumento refutare studet, quod propter perversam in archetypo verborum distinctionem *providentoisque* facile potuerit legi *providentosisque*. tum Plauti Truc. 159, ubi *sumpsit seniteri* codicibus BCD traditur, Schoellius *sumpse enitere* scribit accepta Bergkii (symb. crit. p. 50) coniectura, quam ipse auctor postea (l. l.) reiecit, Buechelerus (ann. philol. 1872 p. 572) tamen probavit. de usu Enniano hoc addendum est, ex formis vulgatis in annalibus praeter *is* nominativum unicam *eos* v. 600 certo tradi, cum a ceteris Ennii poematis antiquissimae illae formae alienae fuisse videantur.

isdem nominativus singularis masculini in v. 468 (560). de hac vetustiore pronominis compositi forma Ritschelius[69] uberius disseruit.

haece accusativus pluralis in v. 239 (294). demonstrativi pronominis *hic haec hoc* formas in *ce* exeuntes *s* littera non antecedente medio fere saeculo urbis septimo ex usu evanuisse primus Ritschelius (opusc. IV p. 89. 132 sq.; v. Corssenum de pronunt. II² p. 603; addit. p. 89 sqq.) titulorum exemplis demonstravit. haec collegit Neuius (l. l. p. 203 sqq.), cuius copiis adicio *hance* in titulo (CIL. X 2 n. 8236), quem Mommsenus anno urbis circiter DC tribuit, et *heice* in inscriptione (CIL. I n. 1049) incertae aetatis. ab eodem Neuio praebentur quae grammatici de eiusmodi formis protulerunt, et loci omnes, quibus illae libris manu scriptis traduntur. subiungit vir doctissimus nonnulla exempla, quae Ritschelii (opusc. V p. 415) aliorumque coniecturis debentur. ex his solum commemoro Ennianum (Epich. 11 = sat. 44 M.) *haece propter* pro tradito *hec propter* metri causa a Vahleno scriptum. sed alia addo, quae in Neuii libro desiderantur. nam LMuellerus (de re metr. p. 442) *haece* in Livii Andronici tragoediis v. 8 R., *hice hoce hince* in Lucilii fragmentis (XI 27. IX 62. XXIX 98) contra librorum auctoritatem scripsit. et Ribbeckius *hice* bis apud Accium (trag. 122. 439), semel apud Turpilium (v. 140), *hunce* semel apud Laberium (v. 21), *hoce* nominativum singularis

---

[69] opusc. IV p. 313 sqq. (cf. p. 138 sq. 385. II p. 432; Ribbeckium ann. philol. 1858 p. 181); v. Buechelerum de decl.² p. 28 sq.; Neuium de formis II² p. 198.

semel apud Caecilium (v. 131) pro traditis formis *e* littera carentibus restituit.

Dubius est ablativus *quodcum*, quem Ritschelius (nov. excurs. Plaut. p. 55 sq.; cf. p. 103) in v. 239 (294) Gellii codicum scripturis (*quocum* Thuan. teste Gronovio; *quod eum* Regin.; *quodcum* ceteri) indicari existimavit. nam praeterquam quod illud *d* metri necessitate non exigitur (v. LMuelleri comm. p. 191), id maxime dubitationem movet, quod impertiendi verbo, ubi res accusativo exprimitur, persona dativo casu apponi solet.

4. Verba.

fiere infinitivus in v. 15 (9). *fieri* in omnibus libris legitur, *fiere* Ilbergius (edit. l. I p. 17) egregia emendatione restituit. etenim et metro forma *fiere* postulatur et hoc grammatici testimonio (Macr. exc. Bob. V p. 645, 8 K.) fulcitur: *a fio fiere esse deberet; sed licet usus aliter obtinuerit (fieri enim nunc dicitur), Ennius tamen in X annalium fiere dixit, non fieri.* reliqui loci, quibus forma *fiere* antiquissima a viris doctis deprehensa est, a Neuio (l. l. II² p. 334) indicantur. disseruit autem de infinitivis *fiere* et *fieri* inprimis LLangius[70], qui etiam *fieri* activi infinitivi formam esse demonstravit, ita ut *fiere* et *fieri* pro antiquiore *fierei* pari iure posita scribendi tantum ratione inter se differant.

luctant in v. 301 (339) pro *luctantur.*[71]

spoliantur deponens in v. 600 (517); v. Neuium l. l. p. 283; cf. p. 332. nonnulli viri docti ex vetustis Donati editionibus *exspoliantur* receperunt, quod in initio hexametri una syllaba desideratur. sed obstant verba grammaticorum Ennii versum commemorantium (de Nonii loco corrupto p. 480, 9 v. Ribbeckium ad Afran. 42).

potestur in v. 594 (inc. sed. rel. XVI).[72]

parire pro *parere* in v. 10 (122) vetustiore consuetudine pariendi verbum non solum tertiae sed etiam quartae coniugationis formas admisisse intellegimus ex grammaticorum locis, quos, cum apud Neuium (l. l. p. 415) non pleni exhibeantur, iam ascribo: Diomedis I p. 383, 5 K. *apud veteres parire dictum reperimus, ut apud Ennium* . . .; Prisc. II p. 401, 2 H. (*pario*) *apud antiquissimos quartae coniugationis declinationem habebat; Ennius* . . .; p. 500, 19 *vetustissimi tamen et secundum quartam coniugationem hoc* (*pario*) *protulisse inveniuntur; Ennius* . . .; p. 540, 6 (*pario*), *quod vetustissimi non solum secundum tertiam sed etiam secundum quartam coniugationem declinabant; unde Ennius* . . .;

[70] denkschriften der Wiener akad., philos.-hist. classe X a. 1860 p. 19 sqq.; v. etiam Ebelium in Kuhnii diurn. V p. 189; Schweizerum ibd. VI p. 446. [71] v. Neuium l. l. II² p. 294; sed praeter locos ibi allatos cf. Donatus IV p. 383, 18 K.; Cledonius V p. 59, 7; Consentius V p. 369, 12; Marius Plotius Sac. VI p. 429, 33. 450, 8. 452, 10. [72] v. Neuium l. l. p. 603; sed cf. Diomedes I p. 441, 19 K.; Donatus IV p. 396, 7; Consentius V p. 388, 7.

p. 438, 23 *veteres et pario quarta coniugatione declinabant*; Nonii p. 508, 1 *paribit pro pariet; Pomponius* (v. 20 R.) .. *paribis numquam.* fallitur igitur Probus (IV p. 36, 16 K.; cf. Mar. Plot. Sac. VI p. 488, 12 K.), cum dicit: *quidam putant hoc (pariendi) verbum tertiae productae, id est quartae esse, sed errant: nam infinitivum modum Terentius posuit parere hic divitias, quod si esset tertiae productae, ri habuisset syllabam ante re, parire* eqs.[73] restant pauca exempla. etenim Ennii trag. v. 424 (fab. 401) pro Varronis libri Florentini scriptura *Latona parit casta complexu Iovis* metri causa restitutum est: *Latona pariit* (*pariet* Neuius l. l. p. 474) *casta complexu Iovis.* apud Plautum in Vidulariae fragmento v. 215 W. *parire* legitur. praeterea Neuius coniunctivum *pariret* e titulo sepulcrali Salonensi (CIL. III 1 n. 2267) profert. sed propter hanc vulgarem inscriptionem non esse puto, quod vetustioris usus *parire* proprium fuisse negemus. ac fortasse lapidarii errori scriptura illa tribuenda est, cum praesertim *peperit* in eodem titulo insit.

fodantes in v. 496 (259) pro *fodientes.* Merula *fodentes*, quod est in Pauli libris p. 336, 5, in *fodantes* mutavit collata eiusdem Pauli glossa p. 84, 7 *fodare, fodere.* adicio Osberni glossam (VIII p. 229 Mai): *et fodo as et fosso as, ambo pro saepe fodere, et ab istis verbalia et hic fossatus, us* (cf. p. 244ª *fodare, fossare, saepe fodere*), quibus respectis, cum praesertim forma *fodentes* nullo testimonio confirmetur, nescio an Merula eam iure tentaverit.

Non satis certum est *fossari* in v. 569 (506) pro *fodi* vel *percuti.* nam apud Varronem de l. L. VII 100 in codice Florentino scripta sunt haec: *apud Ennium: decretum est stare* (*fossari* Columna; *stare et fossari* Bergkius opusc. I p. 575; *stare et fodicari* ASpengelius) *corpora telis; hoc verbum Ennii dictum a fodienda, a quo fossa.* ac praeterea apud antiquos scriptores verbi fossandi nullae formae occurrunt nisi participia vel potius substantiva *fossatum* et *fossatus*, a quibus insuper percutiendi notio aliena est. tamen adminiculum datur Columnae lectioni Osberni glossa quam supra ascripsimus. *fodicari* ab ASpengelio propositum mihi ideo non probatur, quod hoc non *verbum Ennii*, sed ne optimorum quidem scriptorum aetate inusitatum fuit (Hor. epist. I 6, 51 alibi).

abnueo in v. 283 (290). conferatur *abnuebant* in Ennii tragoediis v. 284 R. (Telam. XI M.). quae formae nusquam inveniuntur nisi apud Diomedem I p. 382, 11 K. *apud veteres et abnueo dictum adnotamus, ut Ennius: ... abnueo ... abnuebant* (*abnuebunt* Par. A et B m. s.).

sonunt in v. 382 (408) et *resonunt* in v. 364 (390).[74] etiam in fabulis Ennianis *sonit* (150 R. = 137 M.) et *sonunt* (69 R. = 183 M.) singulis exemplis legimus, vulgarem verbi formam unicum *sonabat* in annalibus 196 (191) exhibet. praeterea Pacuvius, Accius,

[73] cf. Macrobii exc. Bob. V p. 649, 30 K. *parturio, quod est parire meditor.* [74] Baehrensius etiam fr. 288 (v. 433 V.) pro *aerato sonitu galeae* scribit: (*umbo*) *aeratus, sonit aes galeae.*

Lucretius illis formis utuntur (v. Neuium l. l. II^2 p. 420 sq.; Corssenum de pronunt. II^2 p. 294).

prodinunt in v. 157 (158) et *redinunt* in v. 466 (159). post saeculum urbis sextum eiusmodi formas amplificatas non inveniri Ritschelius[75] demonstrat. idem eas inmissa *in* syllaba ortas esse existimat, cum Schweizerus (Kuhnii diurn. II p. 380 sq.) et Corssenus (l. l. p. 420) suffixum ab *n* littera incipiens statuant. inter Enniana a Bergkio (opusc. I p. 232) etiam *ferinunt obinunt explenunt* (Festi p. 286^a, 14. 189^b, 4. 80, 1) referuntur.

opertat in v. 500 (254). recte tradi Nonii libris *opertat* nusquam alibi scriptum comprobatur Pauli glossa p. 191, 1 *opertat, saepe operit.*

superescit in v. 486 (322). si exempla apud Neuium l. l. p. 596 perlustrabis, videbis compositum *superescit* semel ex Ennio, *escit* saepius ex XII tabulis[76] afferri ac praeterea semel *escit* apud Lucretium I 619 et *escunt* in legibus publicis apud Ciceronem de leg. III 3, 9 libris tradi. accedit *obescet*, quod unde sumpserit Paulus p. 188, 9 nescimus.[77] etiam Philoxeni glossam *adescit* κολλᾶται huc referri Loewius (gloss. nom. p. 177) iubet. idem (p. 100; cf. p. 84) apud Placidum p. 41, 15 D. *escit*, *erit* pro tradito *exsciterit* proponit.

pigret in v. 405 (432) pro *piget*. Nonii testimonio p. 219, 12 *pigret; Ennius . . . Accius . . .* (31 R.) *pigrent* addo quae insunt in Osberni glossis (VIII p. 440 Mai) *pigreo, pigres, verb. neutr.*

bovantes in v. 571 (475) pro *boantes*. a Varrone de l. L. VII 104 Ennii exemplo haec praemittuntur: *multa ab animalium vocibus tralata in homines . . minus aperta ut . . Ennii . . a bove.* praeterea forma *bovantes* fulcitur Labbaei glossa *bobantes*, βοῶντες, ubi Dacerius *bovantes* emendavit.

potesset in v. 235 M. quibus locis *potesse* infinitivus libris tradatur quibusque ex coniectura *potesse* et *potesset* scribatur, intelleges ex eis, quae Neuius l. l. p. 601 sqq. et Brixius ad Plauti Trin. 884[78] de variis huius verbi formis proferunt. sed mihi quidem non solum praesens *potissit* sed etiam *potisse* et *potisset* ab illo Enniano esse videntur aliena. nam *potisse* pro infinitivo perfecti, *potisset* pro coniunctivo plusquamperfecti cum Neuio (l. l. p. 602 sq.) haberi velim. *potesset* autem ideo potissimum notabile est, quod ante repertum Ennii versum Neuio teste in nullo libro manu scripto forma illa legebatur.

horitatur in v. 350 (367) pro *hortatur* et *horitur* in v. 409 (465). quae de his formis scimus, continentur uno Diomedis loco

[75] opusc. IV p. 134 sq.; cf. Ribbeckius ann. phil. 1858 p. 183. exempla congessit Neuius l. l. p. 412 sq.; sed adde eis *inserinuntur* (*interserinuntur* Ritschelius l. l.) ex Livii Odissia et Labbaei glossam: *dianunt* δίδωσιν (*danunt*, διδόασιν corr. Vulcanius). [76] I 3. V 7. V 5 Sch. (*nescit* libri); adde V 4 (*est* libri; *escit* Cuiacius observ. VII 18); V 7 (*esset*, *erit*, *existet*, alia libri; *escit* Bouherius ad Cic. Tusc. III 5, 11). [77] explicantur hae formae a Corsseno symb. p. 35 sqq.; de pronunt. II^2 p. 283. 401 ann. [78] v. etiam Lachmannum ad Lucr. p. 316. Fleckeiseni misc. crit. p. 45 sq.

I p. 382, 21 K. *hortatur, quod vulgo dicimus, veteres nonnulli horitur dixerunt, ut Ennius . . horiturque; idem in decimo: horitatur* (*horitur* libri; emend. Ilbergius) *induperator* (v. etiam Corssenum de pronunt. II² p. 545).

vegebat in v. 477 (361) pro *vegetabat* et *vegetur* (sic Bergkius opusc. I p. 681; *videtur* libri Nonii) in v. 286 (312) pro *vegetatur*. de vegendi verbo, quod antiquioris consuetudinis proprium et semper transitivum esse Brixius (ad Plauti Mgl. 657; cf. Ritschelii opusc. II p. 780) recte monet, unum Nonii testimonium p. 183, 1 habemus: *veget pro vegetat vel erigit vel vegetum est; Pomponius Maiali* (78 R.): *animos Venus veget voluptatibus; Ennius Ambracia* (praet. 4 R. = sat. 32 M.): *et aequora salsa veges . .; Varro Manio* (p. 157, 9 R. fr. 268 B.) *viget* (*veget* L, H m. pr.), *veget ut pote plurimum; idem* "Ονος λύρας (p. 179, 5 R. fr. 351 B.): . . *lyram Sol . . motibus diis veget* (*viget* libri Nonii p. 100, 27). in Varronis Manio LMuellerus (Nonii ed.) *veget* pro intransitivo verbo accipit. sed nihil obstat, quin ibi *plurimum* obiectum ab illo verbo pendens iudicemus. Brixius etiam in Plauti versu Mgl. 657, quem libri BC sic habent: *tu quidem omnis moris ad venustatem vacet* (*vicet* C, *vecet* D^a, *vegit* D^b), *veges* ultimam fuisse vocem coniecit. verum Ritschelius Camerarium secutus *tui ... valent*, Ribbeckius *tui . . vigent* scripserunt. denique *vegere* apud Lucretium V 1298 et *veget* apud Senecam de tranq. an. 17 iniuria olim legebatur. nam illic Lachmannus et alii *vigere* reposuerunt, hic est in libris: (*Liber*) *animum et adserit vegetatque.*

capsit in v. 324 (331), *levasso* in v. 339 (386), *perpetuassint* (*perpetiassint* Nonii codex Leid. m. pr.; *perpetuas sint* H; *perpetuitas sint* reliqui; *perpetuitas sit* libri in lemm.; corr. Bentinus) in v. 322 (333). verbi capiendi formis contractis etiam Plautus et Accius usi sunt. accedunt composita *incepsit* Festi p. 107, 20, *occepso* et *occepsit* apud Plautum, *accepso* apud Pacuvium, *recepso* apud Catullum. singulos locos Neuius l. l. p. 544 sqq. indicat[79], quem tamen fugit codicis Vaticani glossa (VII p. 556^a Mai) *concapsit, conpraehenderit.* levandi et perpetuandi voces nusquam alibi sic declinantur. sed multae aequales aliorum verborum formae extant, quae in Neuii libro (II² p. 540 sqq.) enumerantur.

adiuero sive *adiuro* (*adiuto* libri plerique; *adiuvero* reliqui) in v. 339 (386); v. Neuium l. l. p. 533 sq.

sultis in v. 521 (522). *sultis* antiquiore tantum tempore inveniri videtur, cum *sis* et *sodes* etiam posteriore aetate in usu fuerint. etenim apud Festum de illa voce composita haec leguntur: p. 343^a, 17 *sultis si voltis significat composito vocabulo . . Ennius: pandite suetigenas* (*sultigenas* Paulus p. 342, 1; *sulpigenas* eiusdem libri boni p. 94, 6) . .; p. 301^a, 22 *sultis, si voltis; Plautus* (Friv. v. 65 Wint.;

---

[79] cf. glossas Plautinas in Loewii prodr. p. 264 *capso, cepero*; p. 271 *capsit, ceperit.*

Rud. 820) . . *M. Cato* (p. 63, 1 J.) . . . quae praeterea repperi exempla, omnia sunt Plautina.[80]

adgretus in v. 574 (575) pro *adgressus*. notabilem formam *adgretus* similemque *egretus* duabus glossis Paulus testatur: p. 6, 11 *adgretus: apud Ennium adgretus fari pro eo quod est adgressus ponitur, quod verbum venit a Graeco* (*ἐγείρομαι*) *surgo;* p. 78, 4 *egretus et adgretus ex Graeco sunt ducta, a surgendo et proficiscendo* eqs. quam Festi sententiam, quamvis LMuellero (Enn. p. 200) placeat, non recte se habere intellegitur ex eis quae Corssenus (addit. p. 417; de pronunt. I² p. 209) de formarum illarum origine exponit.

spexit in v. 402 (437). simplicis verbi spiciendi qui fuerit usus, ex his grammaticorum locis apparet: Festi p. 330ᵇ, 29 *spicit quoque sine praepositione dixerunt antiqui*; *Plautus* (Mgl. 697; v. Brixium et Lorenzium ad h. v.) . . *et spexit*: *Ennius* . .; Pauli p. 2, 2 *auspicium ab ave spicienda, nam quod nos cum praepositione dicimus aspicio, apud veteres sine praepositione spicio* (*specio* libri deteriores) *dicebatur*; Festi p. 344ᵃ, 29 *spiciunt antiquos di⟨xisse sine praeposi⟩tione testis est Cato* (p. 40, 11 J.) . .; Varronis de l. L. VI 82 *spectare dictum ab ⟨specio⟩ antiquo, quo etiam Ennius usus . . . spexit . . .*; *et quod in auspiciis distributum est, qui habent spectionem, qui non habeant; et quod in auguriis etiam nunc augures dicunt avem specere . . hinc speculum, quod in eo specimus imaginem*; Prisciani II p. 562, 12 H. *conspicio a specio;* [*non est in usu*]; p. 178, 14 *specto verbum quasi a spicio natum est frequentativum*; p. 400, 10 *spicio*, *ex quo aspicio* eqs.; p. 435, 4 *nunc in usu simplex non est . . spicio . . .*[81] videmus igitur Varronis aetate augures tantum in certa formula vocem non compositam adhibuisse. neque aliud quicquam ex paucis quae restant exemplis cognoscimus. in Ennii fabularum fragmento (trag. 237 R. = fab. 292 M.), ubi in fine versus libri habent *Sol*, *qui res omnis inspicis*, veram lectionem *Sol*, *qui res omnis spicis* Vahleni (mus. Rhen. XIV p. 566) acumini debemus. apud Plautum locutio *specimen specitur* bis (Bacch. 399. Cas. III 1, 2) occurrit. denique ex Varronis saturis Menippeis p. 187, 10 R. (fr. 384 B.) verba *ideo dici . . . vestispicam, quod vestem spiciat* (*inspiciat* Harl. m. pr.) afferuntur, quibus conferas, quae idem Varro de l. L. VII 12 dicit: *dicta vestispica* (*vestisca* Flor.; corr. Aldus), *quae vestem spiceret* eqs.

apiunt in v. 491 (569). merito LMuellerus Ennio hoc verbum reddidit, quippe quod libro Isidori Guelferbytano tradatur et in Parisinorum scriptura *tonsillam sapiunt* facile agnoscatur. alibi simplicis verbi apiendi exempla nulla supersunt, nisi quod occasione data eius mentionem faciunt grammatici, quorum glossas habemus has: Pauli p. 18, 9 *apex . . . dictus est ab eo*, *quod comprehendere vinculo anti-*

---

[80] Asin. 1 (*sultis* Ambros. E, Donatus in Ter. Andr. I 2, 15; *sultis* (*iu* suprascr.) D; *si vultis* BJ). Capt. 456. 667. 919. Poen. 814. Men. 350 (*si voltis* libri, *sultis* Pylades). Stichi 65. 220. Vidul. v. 201 W. (*si vultis* libri, *sultis* Bothius). [81] cf. Sedulius in Hageni anecd. Helv. p. 20, 11; comment. Einsidl. ibd. p. 256, 15; Osberni gloss. VIII p. 523 Mai.

qui apere dicebant, unde aptus is, qui convenienter alicui iunctus est; Servii in Aen. X 270 *hoc (apicis) nomen a veteribus tractum est: apere enim veteres ritu flaminum adligare dicebant, unde apicem dictum volunt* (cf. Isid. orig. XIX 30, 5); Pauli p. 22, 17 *ape apud antiquos dicebatur prohibe, compesce*; glossae ap. Labb.: *ape*, *κώλυσον*; ibd. *apet*, *ἀποσοβεῖ*.

quaesentibus in v. 146 (143) pro *quaerentibus*. *quaeso* et *quaesumus* orandi significatione ab optimis scriptoribus saepe usurpantur. etiam infinitivus *quaesere*, quem Festus p. 258 b, 13 antiquis tribuit, Phoca (V p. 436, 4 K.) et Eutyche (V p. 483, 8 K.) testibus apud Sallustium et apud Ciceronem legebatur. reliquae tamen huius verbi formae *s* littera scriptae antiquioris sermonis peculiares sunt. neque enim huc pertinet, quod *quaesunt* et *quaesit* apud Iulium Valerium (III 2 et 37 Mai), *quaescre* in Itinerario Alexandri Magni (15 Mai) inveniuntur. *quaesito* autem imperativus apud Columellam de arb. 26, 8 dubitationem movet, cum libri Sangermanensis et Lipsiensis *quaerito* praebeant. ex ceteris exemplis, quae Neuius (l. l. p. 487; v. etiam Jordani symb. p. 145 sq.) cum testimoniis[82] collegit, commemoro tantum Enniana *quaesundum* (trag. 97 R. = fab. 322 M.) (*quae secundum* codex Festi; corr. Ribbeckius), *quaesendum* (trag. 120 R. = fab. 350 M.), *quaesit* (trag. 199 R. = fab. 74 M.) (*quid sit* codex Ciceronis; corr. Leopardius). desideratur tamen et apud Neuium et in lexicis verbum frequentativum quaesitandi, cuius notitiam glossariis debemus. Loewius (prodr. p. 316) quidem duas glossas adfert: *quaesitat, quaerit, interrogat, sciscitatur* et *quaesitare, quaerere*. idem alio loco bis *quaesitare* legi testatur.

remant in v. 72 (54). ultimo loco hoc verbum posui, quia quomodo explicandum sit etiam nunc minime liquet. etenim una ei testimonio est Festi glossa p. 282 a, 33 sic scripta: *remanant, reptent; Ennius l. I: desunt rivos camposque remant*, cui conferas Pauli epit. p. 283, 7 *remant, repetant; Ennius: rivos camposque remant*. inde hoc quidem mihi videtur elucere, non vulgatum *remanant*, sed *remant* poetae iure restitui. Paulus enim manifesto et in lemmate et in versu Enniano *remant* legit, quod etiam Festi codex servatus altero loco exhibet. *remanant* autem duplicatis *an* litteris per errorem in textum irrepere facillime potuit. Klotzius (in lex. s. v. *remeo*) quidem arbitratur *remanant* ampliorem esse formam pro vulgato *remeant*. cui sententiae minime adducor ut astipuler, quae nullo simili exemplo probetur. nam alienae sunt formae illae vetustissimae *solinunt*, *ferinunt*, *obinunt*, *nequinont*, *interserinuntur*, *prodinunt*, *redinunt*, *danunt*, *explenunt*. quidni *remant* pro *remeant* scripserit Ennius, apud quem etiam *solum* et *sola* pro *solium* et *solia* ac pronomina possessiva *sos sas sis mis* inveniantur?

Formas *morīmur*, *misererent*, *tetulisti* (v. 56. 175. 384) ut alienas omisi. nam *moriri* etiam apud Ovidium met. XIV 215, *miserent*

[82] sed cf. etiam Cledonium V p. 59, 2 K.; Pompei comm. V p. 232, 1; Consentium V p. 380, 1. 382, 14.

apud Valerium Flaccum II 92, *tetulissent* in Macrini versibus (Iul. Capit. v. Macr. 11), *tetuli* in titulo Belgradensi (eph. epigr. II p. 328 n. 485)[83] legimus.

5. Adverbia.

fortunatim in v. 112 (107). traditur hoc adverbium, quod est ἅπαξ εἰρημένον sicut *visceratim* in fabulis (trag. 106 R. = fab. 328 M.), hac Nonii p. 111, 39 glossa: *fortunatim, prospere; Ennius*.. omnino tales voces in syllabam *tim* exeuntes praeter ceteros (v. Neuium l. l. p. 662 sqq.; Kuehneri gr. Lat. I p. 682 sqq.) tractavit Corssenus (symb. p. 279 sqq.), qui statuit in vetustiore sermone multo plures fuisse quam optimorum scriptorum aetate et deinde imperatorum temporibus nonnullas vetustiores revixisse ac multas novas ortas esse. idem (p. 283) liberae rei publicae aetatis proprias collegit.

prognariter in v. 215 (211) et *torviter* (*torbiter* codices) in v. 79 (258). *torviter* alibi nusquam occurit nisi in versu Pomponii (18 R.) a Nonio p. 516, 12 ascripto. neque plura vocabuli *prognariter* exempla novimus. huius Nonius duabus glossis mentionem facit, quarum altera p. 150, 5 est *prognariter, strenue, fortiter et constanter; Plautus* (Pers. 588) . . . *Ennius* . . ., altera p. 154, 25 *prognariter, audaciter; Plautus* (Pers. 588). . . Lambinus quidem *prognariter*, quod quinquiens omnes Nonii libri ac praeterea Plauti codices exhibent, in *prognaviter*, in *praegnaviter* Acidalius mutari voluit. quos merito refutat Ritschelius (opusc. II p. 266), qui etiam in glossario Plautino *prognariter* legi commemorat. Vahleno (in edit.) igitur credemus a Nonio adverbium illud non recte explicari. omnino autem usus eiusmodi adverbiorum ab adiectivis secundae declinationis derivatorum, id quod ex diligenti Neuii tractatione (l. l. p. 653 sqq.) apparet, in vetustiore sermone multo latius quam postea patuit. atque in Ennii quidem reliquiis praeter duo illa supra allata *proterviter* (com. 2 R. = fab. 385 M. ap. Non. p. 513, 13 et Prisc. III p. 71, 3 H.) et *saeviter* (trag. 145. 266 R. = fab. 136. 374 M.)[84] antiquioris consuetudinis propria esse videntur. ceterum omnium talium vocum exceptis *torviter* et *reverecunditer* etiam formae *e* vocali terminatae ad nos pervenerunt (v. Kuehnerum l. l. p. 680 sqq.)

poste in v. 235 (244). formae *poste*, de qua inprimis disseruit Ritschelius (opusc. II p. 543 sqq.; cf. Ribbeckius ann. philol. 1858 p. 187; Corssenus de pronunt. I² p. 183. 734), quae extant exempla maximam partem sunt Plautina. praeterea Terentio Fleckeisenus duobus locis (Andr. 483. Eun. 493) *poste* restituit. altero loco (Eun. 493) Fleckeiseni coniecturam glossario Terentiano praeclaro

---

[83] in titulo CIL. V 1 n. 3635 incertum est utrum *tetulisse* an *te tulisse* recte legatur. [84] de vocabulis apud Priscianum sequentibus v. Hertzium Philol. XXI p. 595 sq.

modo confirmari Goetzius ostendit (ind. schol. aest. Jen. a. 1885 p. IV). cf. FSchoellius mus. Rhen. XLIII p. 300.

quianam in v. 130 (130) et 264 (270) pro *quare* vel *cur.*[85] testantur vocem *quianam* hi grammaticorum loci: Festi p. 257^a, 25 *quianam pro quare et cur positum est apud antiquos, ut Naevium* (b. P. 18; sat. p. 168 M.) . . . *et Ennium* . . .; Servii in Aen. X 6 *quianam, cur, quare; Ennianus sermo est*; schol. Veron. ad h. l. p. 102, 29 Keil. *quianam; Asper:* ἀρχαισμός; Quintiliani VIII 3, 25 *olli enim et quianam et moerus et pone et pollicerent aspergunt illam, quae etiam in picturis est gratissima, vetustatis inimitabilem arti auctoritatem; sed utendum modo nec ex ultimis tenebris repetenda* (cf. Prisc. III p. 95, 10. 138, 8. 285, 12 H.). accedunt pauca exempla, quae apud Neuium l. l. p. 803 indicata sunt. omisit tamen vir doctissimus commemorare, quod in Plauti Pseud. 1089 Bergkius (opusc. I p. 678) *quianam* pro *quia* proposuit. Langenus (l. l.) quidem Plauto *quianam* particulam abiudicare studet, sed alter respiciendus est locus Plautinus (Truc. 136), ubi *quianam* codice Vaticano exhibetur. quod vero Vergilius bis in Aeneide (V 13. X 6) vocabulum illud usurpat, id vetustiorum poetarum imitatione factum esse testimoniis quae supra ascripsi satis probatur.

noenum in v. 314 (287) et *noenu* in versibus 479 M. (426 V.) et 161 (inc. fab. rel. V).[86] utraque forma apud Ennium emendatione restituta est. nam primum quidem in versu 314 omnes boni Ciceronis codices duobus locis (Cat. mai. 4, 10. de off. I 24, 84) *non enim* habent, *noenum* scribi Lachmannus (ad Lucr. III 198) iussit. quod sane probabilius est quam *non eni*, de quo Bergkius (opusc. I p. 294) et LMuellerus (comm. p. 190) cogitant. deinde in versu 479, cuius initium est apud Festum p. 144, 14 *non decet mussare bonos*, cum apud Philargyrium in georg. IV 188 *non possunt mussare boni* legatur, primus Ribbeckius (mus. Rhen. X p. 277 ann.) *noenu decet mussare bonos* proposuit. restat versus 161 Ciceronis (de div. II 62, 127) libris sic exhibitus: *aliquot somnia vera, sed omnia non est necesse (non nunc haec esset* Leid. A et Vindob.; *non nunc necesse est* Leid. B; *non necesse est* codex Moseri). quibus scripturis inter se comparatis non dubito, quin Ilbergius (exerc. crit. p. 7 sq.), quem ad annales hoc fragmentum iure rettulisse puto, ultima eius verba recte sic scripserit: *omnia noenu necessest.* praeterea in v. 411 (449) *non in sperando cupide rem prodere summam* Vahlenus in editione *noenum* pro *non in* coniecit. sed vera esse mihi videtur Ribbeckii (l. l.) emendatio: *nolim sperando cupide r. p. s.* testimonium vocis *noenum* pro *non* positae est apud Nonium p. 143, 31, ubi singuli loci ex Lucilio (XXX 23 M.) et Varrone p. 259 R. adduntur. duo alia Ritschelius (opusc. II p. 242) ex glossario Plautino affert. porro apud Lucretium bis (III 199. IV 712) *noenu* invenimus. atque etiam Cicero

---

85 v. Corssenum de pronunt. II^2 p. 851 et Langeni symb. crit. p. 325 sq. 86 v. Corssenum de pronunt. I^2 p. 79. 206. 673. II^2 p. 594.

semel (ad Att. VII 3, 10) vetusta forma *noenum* sive *noenu* utitur, si quidem *noen*, quod codex Mediceus m. pr. habet, a correctore recte in *noenu* mutatum est (v. Lachmannum l. l.). accedunt aliquot poetarum loci, quibus viri docti coniectura *noenum* aut *noenu* reposuerunt. etenim Plauti Merc. 765 Ritschelius (nov. exc. Plaut. p. 40) *noenum* (*non non* B, *non* reliqui) *te odisse*, Truc. 674 Bothius *iam noenu* (*non* libri) *sum truculentus*, Mgl. 654 *Ephesi sum natus*, *noenum* (*non enim* BC, *non sum* R.) *in Apulis*, *noenum* (*non sum* BC, *non* R.) *Animulae* Buechelerus (ann. phil. 1863 p. 774) coniecit. idem (l. l.) Asin. 808 *noenum* (*non enim* libri) *mortualia*, in sorte Praenestina (CIL. I n. 1451) *ubei profui*, *gratia noenu* (*nemo* in lapide) proponit. Ribbeckius ex coniectura scripsit Afranii v. 370 *qui noenum* (*nč* codex Charisii) *potest*, v. 311 *si noenu vis* (*sine novis* Nonii codex Genev. et Bern.; *sinen quis* Paris. P; *sine non vis* reliqui), Caecilii v. 214 *noenu volt* (*nevolt* Nonii Leid. C; *non vult* reliqui), Novii v. 20 *noenu scis* (*nemo scit* libri), Publilii Syri v. 494 *noenu* (sive *nullus*) *flectit* (*non flectit* F).[87] unum addere libet, quod mihi admodum verisimile videtur. etenim versum 229 (232) Servii (in Aen. VIII 361) libri sic habent: *neque me decet hanc carinantibus edere chartis.* corruptelae fortasse ita medemur, ut voce *noenum* pro *neque* reposita sic legamus: *noenum me decet hanc carinantibus edere chartis.*

cunde in v. 458 (587) num Ennio dandum sit, non satis constat. nam Nonii versum bis laudantis codex Lugdunensis et Harleianus altero loco (p. 221, 12) *boni secunde* habent, cum in reliquis *bonis unde* et altero loco (p. 64, 34) in omnibus *novis unde* inveniatur (v. LMuellerum Enn. p. 202 et in edit. Nonii).

6. Praepositiones.

indo in v. 73 (59) et *indu* in versibus 243 (298) et 425 (490). adde composita *induvolans* in v. 397 (446), *induperantum* in v. 413 (470), *induperator* in versibus 86. 350. 332. 552 (81. 367. 377. 496). formam *endo* (v. Neuium l. l. p. 773 sq.) in v. 563 (553) hic omitto, cum verba *endo suam do* ad saturas releganda esse videantur (v. Ribbeckium mus. Rhen. X p. 289). *indo* praeter locum Ennianum nusquam traditur. neque vero ideo, nisi aliae accesserint

[87] etiam aliis locis *noenum* viri docti coniecerunt, ubi editores illud non receperunt: Ennii trag. 201 R. (fab. 76 M.) *nemo spectat* libri Ciceronis, *non videt* Donati; *noenu spectant* Fleckeisenus annal. phil. 1865 p. 620 ann.; v. Vahlenum in ephem. gymn. Austr. 1871 p. 25 sqq. Ennii sat. 9 (21) *nam iis non bene vult tibi* libri Nonii; *nam is noenu bene volt tibi* Bergkius opusc. I p. 304 sq. Plauti Truc. 340 *me nimo* (sic B; *nimio* CD) *magis respiciet* BCD; *me noenu magis respicient* Fleckeisenus ann. phil. 1870 p. 618; v. Vahlenum l. l. p. 27. Truc. 309 *non enim* libri; *noenum* Fleckeisenus l. l. Truc. 817 *at* (*ad* B) *nunc nunc tacebo* BCD; *at noenum taceo* Fleckeisenus l. l.; v. Seyfferti stud. Plaut. p. 30. Pseud. 1266 *non enim parce* libri; *noenum parcei* Buecheler ann. phil. 1863 p. 774. Trin. 705 *non enim* libri; *noenum* Ritschelius; v. Brixium ad h. v.

causae, cum LMuellero (Enn. p. 201) illic quoque *indu* legendum esse putabimus. *indu* formae qui fuerit usus, ex eis quae Neuius[88] collegit satis perspicitur. nam exempla eius omnia vetustioris aetatis sunt, nisi quod *induperator* et *induperare* etiam imperatorum temporibus a poetis vetustiores imitantibus interdum usurpantur.[89] ceterum iam Ennius in annalibus et epigrammatis multo saepius *in* forma quam amplioribus *endo*, *indo*, *indu* usus est, in fabulis reliquisque poematis has prorsus evitavisse videtur. unde intellegimus iam Ennii aetate ampliores illas voces in communi sermone non fuisse usitatas (v. Jordani symb. p. 260 sq.).

7. Coniunctiones.

quamde in v. 29 (98) et *quande* (*quan dit uas* codex Festi; *quande tuas* Ursinus)[90] in v. 139 (132). de huius particulae usu Festus p. 261, 4 (cf. Pauli p. 260, 1) docet haec: *quamde pro quam usos esse antiquos cum multi veteres testimonio sunt tum Ennius* (*huius* codex, corr. Ursinus). . . addit Festus exemplis Ennianis Lucretii versum (I 640) et alibi (p. 352^{b}, 9) Naevii vel potius Livii Andronici (cf. Hom. Od. θ 138; v. Hermanni el. doctr. metr. p. 623) verba *quamde mare saevum*, quae Buechelerus (ann. phil. 1863 p. 332) versus Saturnii initium iudicat. porro pro dubio Naevii versus (b. P. 3 M.) initio *postquam aves aspexit* Fleckeisenus (misc. crit. p. 21) *postquámde avés aspéxit* probabiliter scripsit. denique in Accii fragmento (267 R.) Bothius et in duobus Plauti versibus (Truc. 627. Pseud. 140) idem et Bergkius (opusc. I p. 134 ann.) *quam* traditum in *quamde* mutaverunt.

---

[88] adde Catonem apud Nonium p. 152, 20 *indu naves* (*inde ignavis* libri; corr. Scaliger); gloss. apud Hildebr. p. 172 (cf. p. 178) et Loewium prodr. p. 344. gloss. nom. p. 186 *indupedat*, *impedit* ex compluribus codicibus; alias quoque glossas Loewius (gloss. nom. l. l.) praebet permulta in glossariis inesse affirmans. [89] poeta apud Hyginum fab. 221; Iuven. 4, 29. 10, 138, alii; cf. LMuellerus de re metr. p. 393 sq.
[90] v. Ribbeckium de part. Lat. p. 4. Bergkii opusc. I p 16. Corssenum de pronunt. II^{2} p. 855; symb. p. 498.

Vita.

Fuerchtegott Fridericus Alexander Reichardt natus sum in vico Neudorf ad Annabergam sito a. d. V. Id. Oct. anno h. s. LVIII patre Omaro, matre Augusta e gente Hausmanniana. fidei addictus sum evangelicae. pater optimus, quem mihi abhinc octo menses morte abreptum lugeo, assidua cura me non modo primis litterarum elementis imbuit, verum etiam ad humanitatis studia tractanda me informavit, donec anno aetatis XVII receptus sum in gymnasium Chemnitiense, quam scholam Theodoro Vogelio et Martino Wohlrabio rectoribus tres annos frequentavi. maturitatis testimonium adeptus in universitate Lipsiensi studiis philologicis operam dedi. scholis interfui, quas habuerunt viri doctissimi Biedermann, Braune, Curtius, Eckstein, Fricke, Heinze, Hirzel, Lange, Lipsius, Noorden, Ribbeck, Seydel, Struempell, Voigt, Windisch, Wundt, Zarncke. proseminarii philologici regii Lipsio praeside ter sex menses sodalis fui, et deinde per aequale temporis spatium sodalis ordinarius seminarii philologici regii, cui praeerant Ribbeck, Lange, Curtius. exercitationibus Germanici seminarii, quas Zarncke instituit, per semestre spatium, seminarii paedagogici Ecksteinio moderatore per tria semestria interfui. praeterea ad societatem antiquariam Lange, ad philologicam Ribbeck per terna semestria benigne me admiserunt. quibus viris omnibus pro summis in me meritis gratias ago ac semper habebo maximas. — Examine pro facultate in gymnasiis docendi anno h. s. LXXXII superato candidatus probandus ascriptus fui gymnasio regio Lipsiensi. deinde duos fere annos Bornae magisterio functus anno LXXXVI Kal. April. Dresdam transmigravi, ubi ex hoc tempore in bibliotheca regia publica adiutoris locum teneo.

causae, cum LMuellero (Enn. p. 201) illic quoque *indu* legendum esse putabimus. *indu* formae qui fuerit usus, ex eis quae Neuius[88] collegit satis perspicitur. nam exempla eius omnia vetustioris aetatis sunt, nisi quod *induperator* et *induperare* etiam imperatorum temporibus a poetis vetustiores imitantibus interdum usurpantur.[89] ceterum iam Ennius in annalibus et epigrammatis multo saepius *in* forma quam amplioribus *endo*, *indo*, *indu* usus est, in fabulis reliquisque poematis has prorsus evitavisse videtur. unde intellegimus iam Ennii aetate ampliores illas voces in communi sermone non fuisse usitatas (v. Jordani symb. p. 260 sq.).

7. Coniunctiones.

quamde in v. 29 (98) et *quande* (*quan dit uas* codex Festi; *quande tuas* Ursinus)[90] in v. 139 (132). de huius particulae usu Festus p. 261, 4 (cf. Pauli p. 260, 1) docet haec: *quamde pro quam usos esse antiquos cum multi veteres testimonio sunt tum Ennius* (*huius* codex, corr. Ursinus). . . addit Festus exemplis Ennianis Lucretii versum (I 640) et alibi (p. 352 ^{b}, 9) Naevii vel potius Livii Andronici (cf. Hom. Od. θ 138; v. Hermanni el. doctr. metr. p. 623) verba *quamde mare saevum*, quae Buechelerus (ann. phil. 1863 p. 332) versus Saturnii initium iudicat. porro pro dubio Naevii versus (b. P. 3 M.) initio *postquam aves aspexit* Fleckeisenus (misc. crit. p. 21) *postquámde avés aspéxit* probabiliter scripsit. denique in Accii fragmento (267 R.) Bothius et in duobus Plauti versibus (Truc. 627. Pseud. 140) idem et Bergkius (opusc. I p. 134 ann.) *quam* traditum in *quamde* mutaverunt.

---

88 adde Catonem apud Nonium p. 152, 20 *indu naves* (*inde ignavis* libri; corr. Scaliger); gloss. apud Hildebr. p. 172 (cf. p. 178) et Loewium prodr. p. 344. gloss. nom. p. 186 *indupedat*, *impedit* ex compluribus codicibus; alias quoque glossas Loewius (gloss. nom. l. l.) praebet permulta in glossariis inesse affirmans. 89 poeta apud Hyginum fab. 221; Iuven. 4, 29. 10, 138, alii; cf. LMuellerus de re metr. p. 393 sq.
90 v. Ribbeckium de part. Lat. p. 4. Bergkii opusc. I p 16. Corssenum de pronunt. II² p. 855; symb. p. 498.

Vita.

Fuerchtegott Fridericus Alexander Reichardt natus sum in vico Neudorf ad Annabergam sito a. d. V. Id. Oct. anno h. s. LVIII patre Omaro, matre Augusta e gente Hausmanniana. fidei addictus sum evangelicae. pater optimus, quem mihi abhinc octo menses morte abreptum lugeo, assidua cura me non modo primis litterarum elementis imbuit, verum etiam ad humanitatis studia tractanda me informavit, donec anno aetatis XVII receptus sum in gymnasium Chemnitiense, quam scholam Theodoro Vogelio et Martino Wohlrabio rectoribus tres annos frequentavi. maturitatis testimonium adeptus in universitate Lipsiensi studiis philologicis operam dedi. scholis interfui, quas habuerunt viri doctissimi Biedermann, Braune, Curtius, Eckstein, Fricke, Heinze, Hirzel, Lange, Lipsius, Noorden, Ribbeck, Seydel, Struempell, Voigt, Windisch, Wundt, Zarncke. proseminarii philologici regii Lipsio praeside ter sex menses sodalis fui, et deinde per aequale temporis spatium sodalis ordinarius seminarii philologici regii, cui praeerant Ribbeck, Lange, Curtius. exercitationibus Germanici seminarii, quas Zarncke instituit, per semestre spatium, seminarii paedagogici Ecksteinio moderatore per tria semestria interfui. praeterea ad societatem antiquariam Lange, ad philologicam Ribbeck per terna semestria benigne me admiserunt. quibus viris omnibus pro summis in me meritis gratias ago ac semper habebo maximas. — Examine pro facultate in gymnasiis docendi anno h. s. LXXXII superato candidatus probandus ascriptus fui gymnasio regio Lipsiensi. deinde duos fere annos Bornae magisterio functus anno LXXXVI Kal. April. Dresdam transmigravi, ubi ex hoc tempore in bibliotheca regia publica adiutoris locum teneo.

causae, cum LMuellero (Enn. p. 201) illic quoque *indu* legendum esse putabimus. *indu* formae qui fuerit usus, ex eis quae Neuius[88] collegit satis perspicitur. nam exempla eius omnia vetustioris aetatis sunt, nisi quod *induperator* et *induperare* etiam imperatorum temporibus a poetis vetustiores imitantibus interdum usurpantur.[89] ceterum iam Ennius in annalibus et epigrammatis multo saepius *in* forma quam amplioribus *endo*, *indo*, *indu* usus est, in fabulis reliquisque poematis has prorsus evitavisse videtur. unde intellegimus iam Ennii aetate ampliores illas voces in communi sermone non fuisse usitatas (v. Jordani symb. p. 260 sq.).

7. Coniunctiones.

quamde in v. 29 (98) et *quande* (*quan dit uas* codex Festi; *quande tuas* Ursinus)[90] in v. 139 (132). de huius particulae usu Festus p. 261, 4 (cf. Pauli p. 260, 1) docet haec: *quamde pro quam usos esse antiquos cum multi veteres testimonio sunt tum Ennius* (*huius* codex, corr. Ursinus). . . addit Festus exemplis Ennianis Lucretii versum (I 640) et alibi (p. 352 b, 9) Naevii vel potius Livii Andronici (cf. Hom. Od. θ 138; v. Hermanni el. doctr. metr. p. 623) verba *quamde mare saevum*, quae Buechelerus (ann. phil. 1863 p. 332) versus Saturnii initium iudicat. porro pro dubio Naevii versus (b. P. 3 M.) initio *postquam aves aspexit* Fleckeisenus (misc. crit. p. 21) *postquámde avés aspéxit* probabiliter scripsit. denique in Accii fragmento (267 R.) Bothius et in duobus Plauti versibus (Truc. 627. Pseud. 140) idem et Bergkius (opusc. I p. 134 ann.) *quam* traditum in *quamde* mutaverunt.

---

88 adde Catonem apud Nonium p. 152, 20 *indu naves* (*inde ignavis* libri; corr. Scaliger); gloss. apud Hildebr. p. 172 (cf. p. 178) et Loewium prodr. p. 344. gloss. nom. p. 186 *indupedat*, *impedit* ex compluribus codicibus; alias quoque glossas Loewius (gloss. nom. l. l.) praebet permulta in glossariis inesse affirmans. 89 poeta apud Hyginum fab. 221; Iuven. 4, 29. 10, 138, alii; cf. LMuellerus de re metr. p. 393 sq.
90 v. Ribbeckium de part. Lat. p. 4. Bergkii opusc. I p 16. Corssenum de pronunt. II² p. 855; symb. p. 498.

Vita.

Fuerchtegott Fridericus Alexander Reichardt natus sum in vico Neudorf ad Annabergam sito a. d. V. Id. Oct. anno h. s. LVIII patre Omaro, matre Augusta e gente Hausmanniana. fidei addictus sum evangelicae. pater optimus, quem mihi abhinc octo menses morte abreptum lugeo, assidua cura me non modo primis litterarum elementis imbuit, verum etiam ad humanitatis studia tractanda me informavit, donec anno aetatis XVII receptus sum in gymnasium Chemnitiense, quam scholam Theodoro Vogelio et Martino Wohlrabio rectoribus tres annos frequentavi. maturitatis testimonium adeptus in universitate Lipsiensi studiis philologicis operam dedi. scholis interfui, quas habuerunt viri doctissimi Biedermann, Braune, Curtius, Eckstein, Fricke, Heinze, Hirzel, Lange, Lipsius, Noorden, Ribbeck, Seydel, Struempell, Voigt, Windisch, Wundt, Zarncke. proseminarii philologici regii Lipsio praeside ter sex menses sodalis fui, et deinde per aequale temporis spatium sodalis ordinarius seminarii philologici regii, cui praeerant Ribbeck, Lange, Curtius. exercitationibus Germanici seminarii, quas Zarncke instituit, per semestre spatium, seminarii paedagogici Ecksteinio moderatore per tria semestria interfui. praeterea ad societatem antiquariam Lange, ad philologicam Ribbeck per terna semestria benigne me admiserunt. quibus viris omnibus pro summis in me meritis gratias ago ac semper habebo maximas. — Examine pro facultate in gymnasiis docendi anno h. s. LXXXII superato candidatus probandus ascriptus fui gymnasio regio Lipsiensi. deinde duos fere annos Bornae magisterio functus anno LXXXVI Kal. April. Dresdam transmigravi, ubi ex hoc tempore in bibliotheca regia publica adiutoris locum teneo.